51,170

ROBERT TROUP PAINE

TO

HARVARD COLLEGE.

A LEGACY

IN HIS NAME BEING APPLIED

IN PART TO AN ANNUAL INCREASE

OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/deluevenereaetde00bagn

DE LUE VENEREA
ET DE
SCORBUTO
PRÆLECTIONES

AUCTORE

FRANCISCO BAGNO

In Regia Studiorum Univerſitate Neapolitana Anatomes Profeſs. Ordinar. Regiæ Academiæ Scientiar. Neapolitanæ Socio. U. I. & A. D. &c. &c.

IN USUM

AUDITORII SUI.

Robert Troup Paine
to
Harvard College

NEAPOLI MDCCLXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA AMATI CONS

PUBLICA AUCTORITATE.

1879, April 9.
Paine bequest.

DE LUE VENEREA

PRÆLECTIONES

ARTICULUS I.

Luis venereæ origo, & indoles.

§. 1. CErtum eſt veneream luem veteribus medicis fuiſſe ignotam, & in fine ſæculi XV in Europa apparuiſſe. Neque audiendi ſunt ii auctores, qui ſcripſerunt ante id tempus morbum Gallicum in Europa notum fuiſſe, inutilia afferentes argumenta. Nam poſtquam CL. Aſtrucius elaboratiſſimum de lue venerea edidit tractatum, in quo ſolidis argumentis probavit non ante reditum Chriſtophori Columbi ab *Hiſpaniola*, *ſive Inſula S. Dominici* in Europa morbum apparuiſſe, nulli dubium eſſe poteſt non ante finem ſæculi XV morbum gallicum notum Europæis fuiſſe. Certæ huic morbi venerei origini argumenta & *poſiti-*

Lues venerea veteribus ignota fuit.

Lues venerea ab Haiti in Hiſpaniam primovenit.

va & *negativa* a quibusdam (*a*) adducta nil officere patet evidenter ex laudato Aſtrucii opere. Itaque in hunc modum fertur morbum inter Europæos irrepſiſſe. Anno 1492. tertia Auguſti menſe diſceſſit ab Hiſpania *Criſtophorus Columbus Genovenſis* novi Orbis terras inveſtigaturus. Poſt multas maris peregrinationes tandem die 6. menſis Decembris ejuſdem anni appulit ad inſulam, quam indigenæ vocabant *Quizqueia*, aut *Haiti*, & poſtea noſtrates dixere *Hiſpaniolam* aut *inſulam S. Dominici*, quæ celebris eſt in magnis Antillis Inſula. Hoc in loco repe-

(a) Plurimi ſunt auctores, qui venereæ luis ortum antiquum eſſe putant, inter quos præſtat cl. Guillelmus Beckettus, qui in tribus diſſertationibus (quas in tranſactionibus philoſophicis edendas curavit) enixe probare ſatagit venereum morbum ſæculis aliquot ante annum 1494. in Europa apparuiſſe. Argumentis Becketti hanc rem probantibus ſapienter ſuo more reſpondit Aſtucius T. 1. p. 35., & indubiis rationibus demonſtrat non ante annum 1493. Europæis luem notam fuiſſe.

perit Columbus prætioſa metalla, margaritarumque magnitudinem, & cum his reperit quoque ſcortarum flagellum, nempe luem veneream, quæ morbus erat iis in regionibus endemicus. Milites, Claſſiarii, & nautæ Criſtophorum comitantes ſtatim morbum contraxerunt, & dum ſequentis anni, nempe 1493. die 6. menſis Aprilis ſagaciſſimus dux rediit cum prætioſiſſimis metallis, & margaritarum copiis duxit quoque fædiſſimum venenum, & adivit *Reginam Iſabellam*, ac *Ferdinandum* tunc commorantes Barcino, eiſque ſuſcepti itineris tationem redditurus. Hiſpanicus Rex novis inventis theſauris ditatus eſt, ſed populus totus Europæus maximis malorum ærumnis replebatur.

§. 2. Tunc temporis Carolus VIII. Gallorum Rex bellum Alphonzo Aragonenſi noſtro tunc Regi indixit, urbemque Neapolim ſuis copiis obſedit. Anno itaque 1494. Civitas noſtra magna obſidione tenebatur, & Ferdinandus II. Hiſpaniarum Rex, ut Regnum Neapolitanum, quod in ſua tutela erat, apte defenderet, ſubſidia miſit, quæ una *Lues venerea ab Hiſpania Neapolim venit.*

 cum

cum militibus Neapolitanis ſtrenue urbem noſtram defenderunt. Inter milites ab Hiſpania venientes multi fuere, qui reduces ab Haiti ſuperiori anno cum Columbo luem illuc veneream contraxerunt, quam ſtatim mulieribus Neapolitanis communicarunt. Scorta Neapolitana lue venerea infecta frequenter excipiebantur ab exercitu Gallico, a quibus peſſime inficiebantur milites. Paulo poſt ſoluta eſt obſidio, & reverſus eſt exercitus Gallicus in patriam jam hoc morbo fædatus, & Galli vera eloquentes vocarunt *luem Neapolitanam* tamquam ſi morbum unice a Neapolitanis accepiſſent. Poſt ſpatium annorum duorum per totam Europam lues propagata fuit. Ne aliquis miretur tam celeri curſu morbum per totius Europæ regiones diffuſum eſſe, advertat quæſo, tria Regna, Neapolitanum, Hiſpanum, & Gallicum, quæ cum omnibus Mundi nationibus commercium habent, primum morbum recepiſſe, inde omnes Mundi gentes potuerunt ab iiſdem infici. Et id fieri celeriter poſſe quoque dicendum. Nam una mulier infecta uno die

die poteſt decem viros coinquinare, hi centum, & ab his mille infici quoque poſſunt, ſicque deinceps ratiocinari poteſt. Ergo dicendum luem veneream primo inter noſtrates Neapolitanos apparuiſſe anno 1494., & per totam Europam anno 1496. diffuſam fuiſſe (*b*).

(b) Qua ratione in Hiſpaniolam morbum, de quo ſermo eſt, fuiſſe endemicum anxie perquirunt nonnulli. Endemicos morbos, & peculiari aeris conditioni, & datæ vivendi conſuetudini, nec non dato alimentorum generi, quo utuntur peculiaris loci accolæ ſuam debere originem in compertis eſt. Luem veneream fuiſſe endemicam Haiti tribus hiſce ex cauſis fateri debemus. Verum ab aere nil poſſe timeri indicat quotidiana obſervatio, qua conſtat Europæos per tria pene ſæcula Hiſpaniolam petentes numquam, niſi concubitu, aut alio hujuſmodi contagionis modo luem contraxiſſe. Sed non negandum calidiſſimam aeris temperiem recentis luis incommoda facere poſſe ſæviora. Et in hiſce regionibus mulieres menſtrua acerrima & fædiſſima habere teſtantur rerum Americarum ſcriptores. Cum his commercium habere periculo-

Quot modis venerea lues propagatur.

§. 3. Quot vero modis veneream luem ab infecto homine in ſanum venire poſſe quæri ſolet. Nulli dubium eſſe poteſt hujuſmodi morbum per contagium

---

loſum eſt. Sic apud Arabes, et Judæos loca multum calida habitantes lege ſancitum fuit, ne cum mulieribus menſtruantibus res habeatur. Adde his mulierum Haiti incolantium libidinem, quæ, dum menſtrua fluebant, erat ob uteri incaleſcentiam vehementior, qua obvios quoſcumque viros, belluarum more, ad venerem incitabant. Varia, heterogenea, & acria multorum virorum ſemina ſimul coercita loci calore & mora computruiſſe, & prima morbi ſemina conſtituiſſe haud fallaci conjectura afferi poteſt. Huic luis venereæ origini ſimbolam ſuam quoque dare potuit peculiaris naturæ cibus. Nam iis gentibus frequens eſt uſus cujuſdam piſcis *juvana* dictus, qui lacertus eſt amphibius, cujus uſu & venereos dolores præſentes augeri, & ſopitos recrudeſcere viſum fuit ab *Conſalvo Fernandez Oviedo*, qui paulo poſt reditum Columbi ab Rege Hiſpaniarum Haiti miſſus fuit, ut metallorum prætioſorum elaborationi præeſſet, quique *Hiſtoriam Indiarum* tunc temporis ſcripſit. Panis Indigenarum Haiti olim conficieba-

gium propagari (*c*). Hujuſmodi contagium per contactum immediatum, & po-

---

batur ex tritico indico vulgo *mayx* dicto, & cibaria condimento ex radicibus, & foliis ari parato inficiebantur. Hiſce alimentis ſanguis replebatur inquinamentis generationi luis venereæ aptis. Sed extant & aliæ cauſæ nobis ignotæ, quæ morbum venereum endemicum Haiti faciebant. Hæ cauſæ deſumendæ eſſent a veterum Inſulæ S. Dominici indigenarum moribus, vivendi ratione, morbis, quibus ſubiiciebantur, & his ſimilibus, quarum rerum cognitio abdita penitus eſt propter defectum hiſtoriæ vetuſtiſſimarum gentium Haiti.

(c) Contagium triplici modo diffundi ſolere quotidiana docet obſervatio. Ab infecto corpore in ſanum morbos tranſire poſſe per diſtans, per fomitem, perque contactum immediatum omnes ſcimus. Quando per diſtans morbus propagatur medio aere id perficitur. Peſtis, variolæ, morbilli &c. medio aere ab infecto corpore in ſanum tranſeunt. Per fomitem communicatur morbus, quando ſanum corpus tangit locum ab infecto corpore calefactum, aut quando in uno lecto dormiunt & ſanus, & infectus homo, atque lecti fotu propagatur morbus. Lepra, Elephanthiaſis,

potiſſimum per venereum concubitum fieri certiſſima res eſt. Mulier infecta hoc morbo cum viro ſano rem habens, & viciſſim vir infectus coitum cum muliere ſana faciens luem propagat, & ſanum corpus per contagionem inficitur. Dantur quoque & alii modi, quibus venenum propagari poſſe conſtat 1. lactatione, qua aut a puero infecto in nutricem ſanam tranſit morbus, aut a nutrice infecta in puerum ſanum venit. Swietenus ex *Barry* narrat (*d*) de

---

ſis, ſcabies &c. hoc modo diffunditur. Tandem per contactum immediatum dicitur morbum diffundi, quando ſcilicet ſolo contactu partium craſſa cute orbatarum infectio accidit. Poſtremo hoc modo propagari ſolet lues venerea. Hinc patet morbos, qui in diſtans communicantur, majori ratione per fomitem, & per contactum immediatum propagari; nec per diſtans, nec per fomitem diffundi poſſunt morbi, qui per contactum immediatum propagantur. Nec denegamus venereas puſtulas ab infecto in ſanum corpus per fomitem quoque tranſire poſſe.

(d) T. X. in comment. Aphor. Boerhaav. p. 8.

de muliere, quæ ſolebat ſugendo puerperarum mammas evacuare. Gerebat ulcus in ore venereum, quod, ne lucri quotidiani jacturam faceret, diſſimulavit, ſicque multas & quidem optimæ ſortis infecit matronas 2. Oſculatu & ſuctione, qua aptatis labiis oris ſani hominis ſugitur venenum ab muliere infecta. Potu, quo ſcilicet vaſi infecto aptatis labiis bibendo ſugitur venenum. Generatione, qua ex genitoribus lue venerea laborantibus filii orti eodem morbo infecti apparent. Et quamvis Aſtrucius dixerat ſe numquam obſervaſſe veneream luem vere ſic dictam, & pathognomonicis ſignis conſpicuam jure quaſi hæreditario in infantes transmiſſam (*e*), attamen ſuperioribus annis curavi adoleſcentulam gonorrhoea ceteroquin benigna laborantem, quam ab nativitate duxerat per matrem lue gallica infectam. Verum non

---

(e) De morb. Vener. T. 1. p. 82.

non negandum omnibus modis morbum venereum communicandi frequentiorem eſſe illum, quo partes contactu immediato junguntur, & humore, qui venerei veneni vehiculum eſt, imbuuntur. Et quo per frictionem contactæ partes incaleſcunt, & raræfiunt, eo promptius venenum abſorbent. Hujuſmodi contactus immediati ſpecies frequens eſt in uſu veneris, quo partes humidæ calidæ, cruſſaque cute denudatæ invicem ſe contingunt, & ſemper madidæ evadunt iis humorum particulis, quibus venenum hæret. Id verum ſemper eſt in naturali venere. Et in ſceleſta illa, & turpi venere, quam pathici præpoſtero modo exercent, pariter id accidit. Næc rarum eſt videre hominem lue gallica infectum ob admiſſam per vulnus, ulcuſque veneni guttulam.

Quænam eſt veneni venerei indoles.

§. 4. Quod vero ſpectat ad veneni indolem definiendam haud denegamus, eam non poſſe, niſi ab effectibus detegi. Conſtantes ſunt & veluti univerſales effectus, qui a *Siphylide* (*f*) oriuntur.

(f) Hieronymus Fracaſtorius cum aliis non in-

tur. Diſtinguunt practici venenum recens admiſſum ab eo, quod diu corpus occupabat. Virus recens admiſſum partibus, quas tangit, colorem, ruborem, calorem, tentionem, tumefactionem, uno verbo, inflammationem affert. In gonorrhœa, & ulcerum venerearum exemplo id paſſim patet. Ergo venenum venereum vim habet irritare, & conſtringere vaſorum extrema, per quæ transfluxus humorum impeditur, quocirca factam irritationem ſequitur inflammatio. Et ſibi permiſſum virus ſen-

---

infimæ ſortis medicis credidit novi morbi cauſam a data cæli & ſiderum conſtitutione pendere. Carmen compoſuit, in quo deſcribens luem veneream fingit *Siphylum* Regis Alcithoi greges paſcentem, & illorum numero ac pulchritudine ſuperbum inſultaſſe Soli. Deus Pater Sol animo indignatus *iniquos intorſit radios*, & Siphylum percuſſit, quem replevit malo vigilias, dolores, ulcera, febres, aliaſq. multas malorum ærumnas inducente. Et coloni hanc *labem* ab eo, qui primus acceperat, dixerunt *ſiphylidem*.

ſenſim ſenſimque exulcerat, rodit, depaſciturque partes, quas obſidebat. Genitales utriuſque ſexus partes, fauces, narium oſſa, totiuſque corporis molles, & firmas partes diu hoc veneno affectas erodi, exulcerari, & conſumi ſolere quotidiana docet obſervatio. Nec raro accidit videre hujuſmodi virus in durum callum ſcirrhumque partes, in quas radices fixit, commutare. Bubones, & gonorrhœæ, nec non multæ per corpus diſperſæ glandulæ, præter inquinales, hoc veneno infectæ in ſcirrhum commutatæ id manifeſtius declarant. Tandem certum eſt venenum hujuſmodi non communicari niſi per contactum immediatum, nec omnes contactus ſpecies veneni propagationi par eſt. Tantum eſt opportuna diuturna frictio, quæ fit in partibus cute craſſa orbatis. Igitur venereum virus non conſtat partibus tenuibus, levibus, volatilibus, penetrabilibus, quæ in auras ſpargi poſſunt, ſed componitur partibus craſſis ſolo tritu, & calore exaltabilibus, & in partes dilatatas, poroſas, excalefa-

ctas

ctas per contactum immediatum tantum penetrabilibus (*g*). An vero ſit indolis acidæ, cujus virtute in coagulum faceſſunt omnes humores, qui cum eo conjunguntur? An componatur particulis acutis ad inſtar tenuiſſimorum ſpiculorum, quorum vi & figuntur, & corroduntur humores, quemadmodum, adhibitis microſcopiis, ſe vidiſſe teſtantur quidam recentiores? An factum ſit particulis ſulphureis phlogiſto repletis, quibus rubor, calor, & inflammatio partium arceſſitur? An conſtat animalculis viventibus, quæ ſe multiplicari apta dum tranſeunt ab infecto in ſanum corpus tragædiam lugubrem exequuntur ex eo, quia animalcula ſe ſe multiplicantia irritare, corrodere, & peſſundare partes, quibus adhærent, valent? Has, & his ſimiles quæſtiones venerei veneni indolem pertingentes declinare de-

(g) Conſul. Aſtrucium in ſemper laudando de lue venerea opere T. I. p. 86.

debemus, utpotequæ vel ſimplicibus conjecturis regi non poſſunt.

Quænam ſunt præcipua veneni venerei phænomena.

§. 5. Verum ſequentia phænomena haud denegare poſſumus. I. Virus venereum vel minima quantitate tranſit ab infecto in ſanum corpus, in quod fermenti inſtar ſe multiplicando omnes & ſolidæ & fluidæ partes penſundare ſolet. Ea eſt venenorum animalium indoles, quemadmodum eſt venenum rabioſum, venenum viperæ, venenum ſcorpionis &c., ut in naturam ſuam conmutent partes ſanas, quas tangunt, utque datam peculiarem primo partem afficiant. Id velle exemplis illuſtrare vetat evidens rei veritas. II. Venenum venereum ut plurimum, antequam in ſanguinem transfunditur, lædit primo partes, per quas tranſit. Sic genitales utriuſque ſexus partes, per concubitum, mammillarum papillæ per lactationem, os, & fauces per oſcula & ſuctionem primo afficiuntur ulceribus, inflammatione, tuberculis, bubonibus, aliiſque hujuſmodi venereis ſymptomatibus, inde miaſmate venereo ſanguis, aliique humores inficiuntur. Nec denegamus poſſe per

fri-

frictionem aut per pertium diſpoſitionem, quemadmodum accidit in fervida venere, ita attenuari & exaltari venenum, ut trans oſcula inhalantia ductum in ſanguinem perveniat, nullam relinquens in parte, per quam tranſit, labem. Attamen id raro accidit, & quos venerea confirmata lue laborare inſpicimus, eos recentis luis ſymptomata primo pati debere fateamur oportet. 3. ad virus venereum communicandum agentem requiri & patientem neceſſe eſt. Infectus homo agit venenum infundendo in ſanum, qui tunc patiens eſt, & hujuſmodi transfuſio fit per humores tenuiſſimos venenatas particulas ſecum ducentes, qui humores a vaſis inhalantibus hauriuntur, ſicque infectio propagatur. 4. in venerei veneni communicatione tum ex parte agentis, cum ex parte patientis nonnullæ conditiones requirendæ ſunt, quibus diverſa fit infectionis conditio. Sic quo uberior veneni eſt copia, quo ferventius, quo acrius, quo ſubtilius, eo magis nocebit virus ab agente in patiente receptum. Et ſi pars, per quam recipitur *Certa [illegible]us venerei conditiones.*

venenum, ſolito ſit mollior, ſpongioſior, rarior, frictione admodum excalefacta, cuticula orbata, ulcere ſauciata &c. majori cum celeritate, facilitateque virus imbibit. Et temporis ſpatium, quo pars ingreſſuro veneno obiicitur quoque commenſurandum eſt, & inde infectionis qualitas recte habebitur. Nam quo diutius commoratur ſuper ſanas partes venenum, eo ſævior eſt infectio. Semper malum eſt contagium eorum, qui venere abutentes ſanas pudendas partes in infectarum diuturnum commercium tenent, & poſt abſolutum opus partes pudendas aqua non bene eluunt. Ex quibus colligi poteſt cur nonnulli vel ex leviſſima cauſa contagium facillime contrahunt, dum alii ægre admodum, vel rariſſime ipſum concipiant, licet in diſcrimen ſæpiſſime venerint? Cur alii incolumes ſæpe diſcedunt ab infectiſſimis commerciis, peſſime contaminantur aliquando ab vel levi infecto concubitu? Cur quidam diu cum infectis rem habentes ſine noxa redeunt, tamen abſque ullo novi morbi acceſſu ab iisdem aliquando contaminati diſcen-

ſcendant? Cur plures homines rem cum infecta muliere habentes unus, aut alter inficiatur, dum reliqui incolumes evadunt? Cur tandem omnes infecti diſcendentes viri ab una meretrice eodem morbo non laborant; nam unum gonorrhoeam, alterum bubonem, tertium ulcera accipere quotidiana oſtendit obſervatio?

ARTICULUS II.

Gonorrhoea.

§. 6. VEnereum virus ab America in Europam ductum pluribus ſymptomatibus ſtipatum apparere, multiſque ærumnarum phaſibus ludere cunctis innoteſcit. Omnes pene interficiebantur poſt paucos ab accepto morbo dies vehementibus ſymptomatibus conflictati homines. Credebatur olim morbum enatum eſſe in viventium perniciem, & ut Dei iræ ſatisfacere valerent, publicæ præces, vota, jejunia, aliæquæ pænitentiæ ſpecies ab univerſo populo inſtitutæ fuerunt. Re quidem vera poſtquam per variam morbi ætatem varia *Venerea lues dum inter nos apparuit ſæviſſima fuit.*

apparuere ſymptomata (*h*) tandem factum eſt, ut ad hunc noſtrum diem factus mitior morbus toleratu felicior ſit, & ſtatutis accidentibus ludere nunc ſoleat. Recens virus acceptum ut plurimum *gonorrhoam*, *bubonem*, *ulcera*, *mora*, aliaque hujusmodi venerea tubercula affert. Hic morbi ſtatus differt ab eo, quem dicunt *luem confirmatam*. A recenti lue in confirmatam tranſitus fit. Nobis itaque exactam morbi deſcriptionem afferre cupientibus primo de lue recenti, inde de confirmata agendum eſt. Recentis luis primum itaque ſymptoma eſt gonorrhoea, cujus vocis ſignificatio indicat *ſeminis fluxum*. Veteribus græcis hujusmodi fluxus notus erat. Hip-

Quid eſt gonorrhoea.

(h) Aſtrucius ſex periodos morbum excurriſſe aſſerit. Et in varias has periodos varia apparuiſſe ſymptomata multorum auctorum de morbo venereo ſcribentium teſtimonio probat. Omnes has periodos deſcribere inutile eſt, & ſcribendarum inſtitutionum brevitati obſtat. Conſulere poteſtis laudatum auctorem T. I. Cap. XIII. p. 65. & ſeq.

Hippocrates enim, & Galenus de *gonorrhoea* verba faciunt, quibus vocibus haud gonorrhoea venerea (erat enim ipſis penitus ignota venerea lues) ſed copioſus ſeminis fluxus accipiendus eſt. Cum autem materies, quæ in hoc luis ſymptomate excernitur ſemenis fluxum æmulare videatur, factum eſt, ut antiqui de lue venerea ſcriptores (*i*) *gonorrhoeam* hunc morbum vocaverint. Quando itaque poſt impurum concubitum apparere incipit brevius tardius pro temperamenti varietate, vario anni tempore, veneni conditione diverſa, &c. gonorrhoea, tunc primo incipit e pudendis ſtillare non ſine voluptate materies alba, viſcida, quæ in dies facta vitioſior tandem puriſimilis educitur. Non apparet dyſuria niſi prius incipit augeri vitioſæ ma-

Quæ ſunt gonorrhoeæ. ſymptomata.

B 3

(i) De Gonorrhoea primum mentionem fecerunt Paracelſus *Chir. edita* anno 1536. Braſſavalus *de morbo gallico* tract. edito 1551. Fernelius de *abditis partium morbis* 1555. Faloppius *de morbo gallico* tract. edito anno 1560. aliique.

materiæ fluxus, quæ ut plurimum viridis, flava, graveolens, eſſe ſolet, & aliquando cum ſanguine copulatur. Licet non negemus vehementiſſimam dyſuriam nullam excipere aliquando gonorrhoicum fluxum. Hanc vocant *gonorrhoeam ſiccam*, de qua mox nonnulla afferremus. Quo creſcit puriſimilis viridiſque humoris eductio, eo augetur urinæ ardor, quem comitantur perinæi tumefactio, penis involuntaria ac doloroſa erectio, glandis rubor & dolor, glandularum inguinum levis tumefectio pariter moleſta. Temperantur hæc ſymptomata poſt aliquot dies, & facile recrudeſcunt abſque ulla apparenti cauſa. In hac, quam *virulentam gonorrhoeam* dicunt, affectione, haud raro ſupprimitur gonorrhoicus fluxus, quod excipit non raro teſtium doloroſiſſima tumefactio cum dolore & lancinnatione copulata. Dicitur *ſpermatocele*, quæ oritur a retropulſione veneni gonorrhoici aut alterum aut utrumque teſtem invadentis. Hujus veneni derivatio accidit aut per telam cellularem, aut per ſuctoriam inhalantium vaſorum circa gonorrhœæ ſedem ſeſe ape-

aperientium vim, qua efficitur, ut devio itinere impetens in teſtes venenum tanta cum irritatione eos feriat, quanta ſufficit, ut, advocato retrovenientium humorum confluxu, inflammatio fiat. De hac affectione nonnulla alibi (k) diximus. Virulentæ gonorrhoeæ hæc ſymptomata ſenſim ſenſimque miteſcunt, & remittuntur. Humor gonorrhoicus viridis acriſque commutatur in album, craſſioruſque fluidum, qui humor temperatius aut cum nulla, aut cum parva dyſuria emittitur, uſque dum *exhauſta ſcaturigine penitus exareſcat* (*l*). In feminis vaginæ ardor, dolor, rubor, difficilis penis admiſſio, dyſuria illa tamen tolerabilior, viridis, ſanguinolenti, flavi, maleolentis humoris copioſus fluxus, vulvæ frequens humectatio, et his ſimilia ſymptomata advenientem gonorrhoeam virulentam quoque comitantur.

§. 7. Gonorrhoeæ hujuſmodi ſedem anxie inveſtigare inutile eſſe credimus. *Quænam eſt gonorrhoeæ ſedes.*

 Aſtru-

(k) Chirurg. Medic. Artic. VII. p. 100.
(l) Verba ſunt Aſtrucii T. I. p. 173.

Aſtrucius credit quatruplicem eſſe hujusmodi ſedem, nempe in viris veſiculas ſeminales, proſtatam, glandulas couuperianas, & urethræ cellulas. In mulieribus etiam quatruplicem eſſe morbi ſedem aſſerit; nempe totam internam vaginæ ſuperficiem, proſtatas, lacunas Graafii, & urethram. Verum experientia diu edoctus ſum totam internam urethræ ſuperficiem in viris gonorrhoeæ ſedem conſtituere. Cellulæ per eandem ſuperficiem ſparſæ frequenter virus concipiunt, quod non infrequenter ipſam adoritur proſtatam. Et pene ſemper vidi in gonorrhoea affectis ſævire dolorem in loco, cui reſpondet præputii frænum. Et ex Cl. Morgagni obſervationibus cadaverum ſectione habitis *(m)* conſtat ut plurimum totam interiorem urethræ ſuperficiem inflammatione corripi, quod ex

(m) Conſul. adoleſcent. epiſtol. 44. de ſedib. & cauſ. morbor. per anatom. indagat. cl. Joan. Baptiſt. Morgagni, ubi de gonorrhoea fit mentio.

ex doloris acerbitate, tumefactione, & rubore penis, necnon ex jugi puriſimilis humoris effuſione in maxima gonorrhoeæ ſævientis malignitate colligitur. Virus ad uſque veſiculas ſeminales extendi poſſe, cujus ſedis humores vitiari ex decubitu venerei veneni non una oſtendit obſervatio. Nam numquam vidi, ſæviente actu gonorrohoea, virum coitum exercentem mulierem fœcundam reddere. Glandula proſtata ut plurimum morbi ſedem facit, in quam corrivat virus ſive per declivium in ſumma penis erectione adveniens, ſive per vaſorum inhalantium abſorptionem, ſive per cellulas ſe invicem communicantes, ſive per aliam rationem.

§. 8. Quod vero ſpectat, ad Gonorrhoeæ virulentæ ſymptomata, animadvertendum nobis eſt, principium, incrementum, ſtatum, & declinationem in morbo obſervari ſolere, unde varia ſymptomatum ratio. Quando incipit morbus veneni corroſivæ partes parum ſollicitant uretrhram, unde cum parvo dolore parvum ſeminalium humorum ſtilli- *Brevis ſymptomatum gonorrhoeæ deſcriptio.*

li-

licidium copulatur. Quo ſerior ſit morbus eo in dies augetur dolor; & humorum fluxus. Doloroſa evadit et involuntaria penis erectio, tuncque urinæ ardor apparet. Id accidit ex ratione, qua veneni particulæ irritando uretrham inflammationem arceſſunt, ſicque acrius nervi vexantur; unde cum rubore, & dolore genitalium partium copulatur dyſuria, quia augetur nervorum per internam urethræ ſuperficiem diſperſorum ſtimulus per tranſitum urinæ acribus, & ſalivis particulis onuſtæ. Et acceleratores, & erectores muſculi in majores aguntur contractiones, unde compreſſionem in venas ſolito majorem conſtituentes involuntariam faciunt penis erectionem, quam ſequitur major nervearum partium diſtractio, hanc comitatur neceſſario dolor, unde doloroſa penis erectio, quæ ſine veneris illecebris accidit. Id pariter evenire ſolet in vagina, & clitoride mulierum gonorrhoea laborantium. Unde in hoc ſtatu ſemper & cum nova ſymptomatum exacerbatione evadit doloroſa venus. Si magnus eſt partium ſtimulus ma-

magnaque exhalantium vaſorum expreſſio, & multus humorum in urethram confluxus nil mirum ſi gonorrhoicus fluxus & copioſus & calidus, & viridis ſit. Et ſi nimia admiſſi contagii copia eſt, ſi nullis auxiliis inflammatio curatur, ſi error magnus & multiplex in diæta admittatur, ſi ſanguis acrimonia eſt infectus, tunc morbus ad acmen ſævitiei pervenit. Calent omnia, genitalia tument, & maxime dolent. Humorum fluxus viridis, flavus & æruginoſus apparet (*n*). Dyſuria creſcit, ſanguis cum

(n) De indole humoris gonorrhoici multi dixere multa. Neque ſemen, neque pus eſſe evidenter patet. Nam ubi fontes tantæ ſeminis quantitatis, & ubi ulcus pus generare aptum? Viderat enim pluries mox laudatus Morgagnus in cadaveribus ſubita morte extinctis actu gonorrhea laborantibus tantum ſuos canaliculos ſolito ampliores, & modo unam, modo alteram urethræ partem ſolito humidiorem. Et quæ maculæ hinc inde apparebant potius inflammationis, quam ulceris prægreſſi ſignum exhibebant. Credimus itaque cum

cum humore gonorrhoico copulatur, qui educitur aut ab expreſſis, aut ab eroſis vaſorum oris, tunc haud difficile eſt fieri ulcus, neque admodum infrequens eſt videre penem aut in unum, aut in alterum latus retractum. Id accidit per inflammationem, quam in maximo morbi incremento ſuſpenſorium penis ligamentum concipit aut, quod certius, fit ab decubitu veneni intra unum corpus penis cavernoſum, quo factum hoc tumidum alterum retrahit. Hæc omnia ſymptomata, dum gonorrhoea hujusmodi rite curatur, miteſcunt. Dolor, dyſuria, tumefactio, genitalium partium, & fluxus gonorrhoici morda-

ci-

---

cum Aſtrucio humorem gonorrhoicum eſſe indolis rheumaticæ, cujus magna quantitas per urethram effunditur propter ſtimulum, quem facit venereum virus Senſibilem urethræ ſuperficiem invadens. Rheumaticorum humorum vitioſam qualitatem, magnamque copiam jugiter eductam indicant coryza, rheuma, atque his ſimiles rheumatici morbi, in quibus ſine ulcere & præparatur & effunditur copioſa viridis flavaque materies.

citas & rideſcentia ſenſim ſenſimque deficit. Et facta tantum cum ſemine analogia ſpiſſi, longi & albi flocculi lymphatici ab extremo urethræ ſtillant. Sed frequenter poſt longam ab concepta gonorrhoea ætatem reſtat paruarum guttularum albi, æqualis, inodori, & benignioris humoris ſtillicidium (o).

§. 9.

(o) Solet in urethræ foveola ad finem cavernoſorum penis corporum in loco cui adheret frænulum ſita quædam obcalleſcentia fieri. Hujus incommodi ortus derivat ab ea venerei virus diſpoſitione, qua ductuli exhalantes diuturno veneni afflatu contaminati eam adipiſcuntur duritiem, ut naturalem ſe contrahendi vim amittant. Sic ſenſim ſenſimque exhalans humor in foveola colligitur, & mora locique calore ſpiſſior factus, inde ad inſtar ſeminis guttulæ ſæpe emittitur ſemper balanum humidiorem faciens. Vidi per menſes per annos, immo & per totam vitam poſt repetitum gonorrhoeæ contagium hoc guttularum venerearum ſtillicidium, quod Neapoletani *goccetta* vocant, durare. Et quod mirum, non caret morbus contagione. Vidi non raro in praxi recentis luis ſymptomata pati eos,

Gonorrhoeæ præſagium.

§. 9. Certum eſt gonorrhoeæ præſagium, quod deſumitur a conditione materiæ eductæ, & ab dyſuriæ diverſa ſpecie. Quo enim humor copioſus, quo viridis, quo flavus, quo deterior, & quo major eſt dyſuria, eo ſævior eſt morbus, & longiori tempore durat. Gonorrhoea, quæ inflammationis indolem induit poteſt in gangrænam abire. Quando a ſcorbuticis, & cacochymis corporibus recipitur difficillime curatur. Id vero quando morbus bene tractatur admodum raro accidit. Sed multum eſt timenda illa gonorrhoea, quam practici *ſiccam* vocant, de qua nos cum Aſtrucio ut plurimum mala prædicere ſolemus (*p*). Contra quo parcior, quo al-

---

eos, qui cum hujuſmodi morbo affectis rem habuerunt. Nullam habent dyſuriam, nullum ſymptomatum apparatum tenent qui laborant hac affectione. Adhibitis aptis curatur remediis, ſed haud raro nullam admittit curationem, & temporis longævitate ex ſe extinguitur.

(p) Mimirum vobis videri poteſt adoleſcentes,

albidior, eſt humor gonorrhoicus, quo nul-

---

tes, nos gonorrhoeam *ſiccam* cum Aſtrucio in praxi dari tuto adſerere. Nam gonorrhoeam ſine fluxu obſervari non poſſe vel ipſa vocis ſignificatio oſtendit. Sed ceſſat veſtra admiratio ad hæc ſedulo attendentes. Haud raro accidit poſt impurum concubitum ut adhæreat urethræ talis veneni indoles, qua inflammatio canali creatur. Sic oritur penis tumefactio, calor, dolor, & maxima dyſuria. Omnia hæc gonorrhoeæ ſymptomata aut cum nulla aut cum pauciſſimo gonorrhoici humoris fluxu copulantur. Maximum partis ardorem, calorem, tentionem, dolorisque acerbitatem excipere haud raro ſolet gangræna. Id eo vel maxime accidit, quo ægri aut malo victus regimine, aut mala medendi ratione tractantur. Mulieres pariter hoc morbo affici ſolent. Cujus morbi ſedes & in urethra, & in vagina reperitur. Vidi aliquando hac affectione correptos non parvam ſanguinis quantitatem effudiſſe, qui ſanguis licet malum morbi ſymptoma indicet, cum per veneni ſummam acrimoniam vaſcula corrodi debeant, attamen non parum morbo prodeſſe hujuſmodi effuſionem cognovi. Tamquam enim peculiaris loci inflammatione aut eryſipelate correpti phlebotomiam ſæpius celebratam levamen ægris afferre indicatam ſanguinis effuſionem cognovi. Dabo mox infra methodum ſiccæ gonorrhoeæ curandæ opportunam.

nulla aut parva adeſt dyſuria, eo benignior eſt gonorrhoea. Vel ipſa ſæviſſima inflammatoria gonorrhoea convenientibus remediis tractata reſolutionem, indeque curationem haud difficile ſuſcipit. Demum periculo non carent ſubſequentia gonorrhoeæ morboſa accidentia, veluti eſt tumor teſtium inflammatorius, & perinæi abſceſſus. Ad curationem, quod ſpectat notum jam experientia eſt ſemper periculo plenam eſſe illam methodum, qua docetur vel ipſo ſub ortu gonorrhoeam eſſe ſuffocandam, adhibitis adſtringentibus, & gonorrhoicum fluxum impedientibus. Habet hujuſmodi opinio fundamentum ei innixum rationi, qua creditur quanto magis durare veneni venerei partibus adhærentiam, eo magis & ipſas peſsundari partes, & ſanguis impuro miasmate infici. Qui ita ratiocinantur neceſſario conſtanti rerum experientiæ adverſantur. Nam praxis quotidie docet peſſime affici eos, quibus vel ipſo ſub ortu ſuffocata eſt adſtringentibus & ſtipticis medicamentis, nec non ſiphone immiſſis in urethram mercurialibus, gonorrhoea. Methodus,

Gonorrhoeæ curatio.

dus, quæ nobis ſemper ex voto ſucceſſit in virulentæ gonorrhoeæ curatione, hæc eſt. Sævientibus inflammationis ſymptomatibus, & vexante admodum dyſuria, ſemel iterumque ſanguinem mittere in primis curamus. Inde ſerum lactis cum aqua ſambuci copulatum mane, & emulsiones ex ſeminibus frigidis confectas cum additis laudani liquidi guttulis conjunctas ad noctis initium propinamus. Si admodum ſævit pudendarum partium dolor & rubor, eas in balneo aqua tepidiuſcula lacte infecta ſemel iterum & tertio de die immergendas imperamus. In dandis hiſce remediis tantum perſiſtimus, quantum ſufficit, ut magnus urinæ ardor, & dolor miteſcat, & ille humoris gonorrhoici viridis color temperetur quodammodo ad albedinem vergens. Tunc aut mel roſaceum, aut hiſpanicum ad uncias quatuor in decem libris aquæ fontis nive frigefactæ quotidie hibendum ægris concedimus, & haud raro idem remedium in die adveſperaſcente repetendum curamus hac indicatione, ut nempe per tranſitum frequentem aquæ

urina diluatur, & abſtergatur locus, in quo fixa eſt gonorrhoeæ ſedes. Decoctiones malvæ, altheæ, foenu græci, chamæmeli, et his ſimilium emollientium plantarum quoque conveniunt. Et nullus medicus, nullus agyrta, nulla muliercula deficit, quæ ſuam aquam pro gonorrhoea curanda non prædicat. Nobis vero in uſu eſt decoctionibus valedicere, tamquam potiones ſtomacum gravantes, & numquam ſimplici aqua utiliores. Lac caprillum cum aqua piſciarelli conjunctum loco cœnæ cum maximo ægrorum emolumento propinamus. Interim æger uti debet victu nec aromatibus, nec aliis irritantibus ſubſtantiis infecto. Juſcula ex carne bovina, olera ſanguinem depurantia, veluti ſunt cichoræa, naſturtium, borago, endivia, lactuca, panatellæ, piſciculi ſaxatiles, ova recentia, & his ſimilia pro cibo quotidiano ſeligere debet.

Sequitur gonorrhoeæ curatio. §. 10. Hiſce per unam, alteram, tertiamve hebdomadam rite inſtitutis procedit virulenta gonorrhoea ad eum benignitatis gradum, in quo nec amplius dolor, nec dyſuria vexat, & ſolum

lum reſtat veluti albi & craſſi ſeminis ſtillicidium. Hoc in ſtatu ptiſanam ex ſarſa parilla, cortice ligni guajaci, & ſennæ foliis paratam propinamus. Pilulas aut ex ſarſa parilla, & aliquot granis mercurii dulcis cum extracto ligni ſancti, aut ex rhabarbaro mercurio dulci & conſerva roſarum &c. confectas exhibemus. Aliqui laudant hoc in ſtatu ſpecificum Dom. Plenck.. Si his reſiſtit remediis aquam piſciarelli, aut gurgitelli ſiphone in uretrhram utriuſpue ſexus pluries de die immittimus. Hoc poſtremum remedium, quod vulgo dicitur *ſyringa* perperam creditur ab quibuſdam effeciſſe vitium in uretrhra, quod poſtea parit ſtranguriam, & dyſuriam tota vita inemendabilem. Vidi non raro, adhibita ſyringa, in hoc gonorrhoeæ ſtatu potiſſimum facta aqua plantaginis mercurio dulci infecta, ægros feliciter curari. Cl. *ſuadiaur*, cujus operis *de lue venerea* editionem recentem habemus, virulentas gonorrhoeas ſiphone potiſſimum curabat injectando gummi arabicæ ſolutionem, cum oleo amygdalarum dulcium copu-

 la-

latam. In hoc morbi ſtatu laudare quoque ſolemus leves mercuriales frictiones unguento mercurii inſtitutas, & per perineum factas mane & veſperi reiterandas, quibus proxime adoritur morbi ſedes, & venenum venereum deſtruitur. Ipſa benigna gonorrhoea, quæ aut nullis aut leviſſimis ſymptomatibus ſtipatur, ſolis frequentibus aquæ fontis melle hiſpanico infectæ potionibus, & unctionibus mercurialibus per perineum, & per inferiorem penis partem inſtitutis curare ſemper ſolemus. Laudant hoc in virulentæ gonorrhoeæ ſtatu nonnulli terebinthinam cum mercurio dulci, & balſamo pini, aut peruviano copulatam. Nec deſunt qui hiſce balſamicis remediis ita fidunt, ut hiſce ſolis gonorrhoeæ hujusmodi cura abſolvere credunt. Nos vero, quemadmodum balſamica haud penitus improbamus, ita iis in curanda gonorrhoea virulenta potiſſimum in ſummo vehementium ſymptomatum agmine nil confidimus, immo ipſa ſuſpecta, & noxitia eſſe tuto aſſerimus. Gonorrhoeam ſiccam curant repetitæ ſanguinis miſſiones, frequentes in tepidiu-

diuſcula aqua lacte infecta pudendarum partium immerſiones, uſus internus aut ſeri lactis copulati cum aqua ſambuci, & ſirupo altheæ, aut decoctionum malvæ, chamæmeli, altheæ, & his ſimilium emollientium plantarum cum laudano opiato coniunctarum, aut emulſionum ſeminum frigidorum cum additis laudani liquidi guttulis. Poſt ſedatam, hiſce adhibitis remediis, dyſuriæ, & doloris ſævitiem, optimum eſt tentamen mercurii litus per perinæum facti, & mercurii alcalici cum gummi ligni guajaci copulati ad grana viginti quotidie internum uſum inſtituere. Quod reſtat poſt repetitam gonorrhoeæ invaſionem guttularum ſtillicidium, quodque ut diximus §. ant: vocant *goccettam* curandam aggredimur ope mercurii præcipitati albi ad grana duo cum gummi ligni ſancti & ſpiritu terebinthinæ coniuncti. Hiſce mixtis fieri ſolent pilulæ quotidie ſumendæ. Aquam phagedænicam, aut aquam calcis ſecundæ infuſionis per ſiphonem in urethram immiſſam morbum curare non ſemel vidimus. Aliqui in curando hoc ſtillici-

dio tincturam commendant cantharidum ad guitas XV in lacte, aut in hordei decoctione &c. Ceterum guccettam tempus ipſum ſanare ſolet. Diſtinguit Svediaur *gonorrhoeam* veneream, quam potius dicere amat *blennorrhagiam*, ſive humorum fluxum ab gonorrhoea habituali. Illa oritur a veneni venerei vi lædente urethræ vaſa, hæc a vitio horum vaſorum ſive in atonia, ſive in colloſitate ductuum exhalantium repoſito. Hoc vitium fieri quoque ſolet ab eodem veneno. Quando deſtruendum eſt callum circa oſcula exhalantia ſitum inſtitui debent iniectiones aquæ, in qua ſolutum ſit vitriolum cyprium, aut ſublimatum. Si vero ſit morbus ab atonia vaſorum, commendat iniectiones aquæ calcis ſecundæ infuſionis cum chinchina copulatæ, aut ipecacuanhæ decoctionis. Ait aliquando profuiſſe electricismum in pene tranverſali ductu immiſſum. *Leg. obſervat. de morb. vener.* p. 67. Tandem credit huiuſmodi habituales gonorrhoeas poſſe fieri ab totali humorum vitio, cui vingen-

gendo remedia generalia conveniunt (*q*).

(q) Non raro virulentam gonorrhoeam excipit teſtium tumor, & abſceſſus perinæi. Uterque morbus fit per depoſitionem veneni venerei aut ad teſtes, aut ad proſtatam, indeque ad perinæum factam. Credit *Svediaur* non oriri ſpermatocele ab irruptione veneni venerei poſt ſuppreſſam gonorrhoeam in teſtes, ſed accidere per obcæcationem ductuum veſicularum ſeminalium circa verumontanum ſeſe aperientium. Hujuſmodi obcæcatio ſive clauſura fit quando gonorrhoea ſedem ſuam figit circa memoratos ductus, qui ab irritante veneno conſtringuntur, & ſemen effundere non poſſunt, quod impetens intra epididymos facit ſpermatocelem. At non video cur quando ſedem ſuam figit gonorrhoea circa memorata oſtia ductuum ſeminalium, & per vehementem dolorem, dyſuriam, irritationemque clauſa hujuſmodi oſtiola, adhuc fluente gonorrhoico humore, non excipiat ſpermaticele? Cur ſemper ſuppreſſum gonorrhoeæ fluxum ſequatur morbus? cur pene ſemper fiat ſpermatocele, quando gonorrhoea ſedem tenet in vallicula circa frænuli finem glandis ſita, & ſupprimitur ejus fluxus. *Conſ. laud. op. p.* 86. Spermatocelem curant repetitæ ſanguinis

ARTICULUS III.

Bubones Venerei.

Venerei bubonis ſpecies diverſæ.

§. 11. TUmores glanduloſi dolentes, duri, ægre ad ſuppurationem venientes, orti in inguinibus ab impuro con-

---

nis miſſiones, emulſiones ſeminum frigidorum majorum, ſerum lactis depuratum cum aqua ſambuci & nitro capulatum, opiata interne ſumpta, & parti affectæ panatellam cum aqua Domini Coulard factam, quatuor farinas cum aqua ſambuci conjunctas, ac ipſum oxycratum, ut inde tumoris habeatur reſolutio admovere cum fructu ſolemus. Semicubea emollientia quoque utilia in praxi obſervavimus. Tandem, ſi fieri poteſt, promoveatur fluxus gonorrhoicus. Perinæi abſceſſus reſolventibus pariter tractandus eſt, niſi cito reſolvatur etiam immaturus aperiendus, eſt, ne pus per cellularem aut in urethram, aut in anum intrudatur, quod ſane non levem incommodum afferre ſolet. Vidi non ſemel, factis cuniculis multiplicibus, extremum ani perforari, & cum urethræ principio communicare, ſicque pus, urinam, faeceſque liquidiores per anum, per ure-

concubitu dicuntur *bubones venerei*. Horum differentiæ & a modo invaſionis, & a qualitate dæſumi poſſunt. Nam alii

---

urethram, per perinæi fiſtulas promiſcue excerni. Ad hujuſmodi gravia mala evitanda ſemper ſuademus immaturam abſceſſus perinæi aperturam, quæ, poſt acris & venenati humoris eductionem, facile ad cicatricem perducitur. Tandem virulenta gonorrhoea affectis non fluxu æquabili, & continuo, ſed filo tenui, ſæpius interrupto & bifido urinæ excretio accidit circa morbi finem. Id pendet aut ab anguſtia urethræ, quæ fit per contractiorem fibrarum ſedem gonorrhoeæ excurrentium diſpoſitionem, aut per enatos callos urethræ hiatum interſecantes, aut per prætumidum verumontanum liberum urinæ fluxum impediens, aut per ſummam proſtatæ duritiem, aut tandem per veſicularum ſeminalium calloſitatem, quemadmodum & ipſe advertit Morgagnus epiſt. 42., aut per ſcirrhum, alioſque duros tumores cavernoſa corpora tum urethæ tum penis obſidentes enatos ab affluxu humorum ratione ſtimuli in memorata cavernoſa corpora collectorum, aut per aliam quamcumque cauſam. Quando hujuſmodi malum obſervamus, poſt venæ ſectio-

alii ſuperveniunt eſſentialiter concubitui impuro, & abſque prægreſſis gonorrhoea, ulceribus &c. apparent, alii gonor-

---

ctionem, & poſt emollientium medicamentorum tam interne ſumptorum, quam parti affectæ adplicatorum fiſtulas adhibemus, quas vulgo vocant *candelette* aut plumbeas, aut cerato corio coufectas. Has diverſæ magnitudinis pro diverſa urethræ anguſtia, proque ſucceſſiva dilatatione ejuſdem urethræ in penem immittendas curamus. Dum id perficitur neque frictionibus mercurialibus & per penem, & per perinæum inſtitutis, neque diluentibus, & anodynis remediis parcendum volumus. Solet non raro poſt ſuppreſſam gonorrhoeam virus oculos obſidere, cujus depoſitu excitatur pertinax ophthalmia, & etiam ipſa amauroſis. Hujus morbi genus numquam rite curari poteſt, niſi prius revocatur fluxus gonorrhoicus. Multa ſunt quæ adhiberi in urethra poſſunt per ſiphonem emollientia remedia. Verum *Svediaur* proponit ſiringam præparatam ab aqua cum data quantitate alcalii volatilis, ut poſſit fieri admodum irritans liquidum. Hoc liquidum in ſuam urethram iniecit, & poſt fortiſſimum habitum dolorem vidit multam viridem materiam ab urethra exi-

norrhoeæ virulentæ potiſſimum ſuppreſſæ, ulcerumque præſertim frænulum balani occupantium pediſſequi ſunt . Illi *primarii* ſive *eſſentiales*, hi *ſecundarii* ſive *ſymptomatici* appellantur . Verum ſunt nonnulli, qui nullum proxime prægreſſum impurum coitum ſequentes oriuntur in inguinibus tamquam confirmatæ latentis luis ſigna haud fallacia. Sunt bubones, qui vel ipſo ſub ortu calent pulſant

---

exire ad inſtar humoris gonorrhoici . Hujuſmodi tentamen ſibi felix pluries accidiſſe ait ad revocandas ſuppreſſas gonorrhoeas. Cl: Plecnk laudat immiſſionem per ſpecillum cera coopertum guttulæ humoris gonorrhoici intra urethram ad inoculandam gonorrhoeam opportunam . Hoc tentamine , ait , provocato iterum gonorrhoeæ fluxu , ophthalmias , ceteraſque affectiones ab gonorrhoeæ ſuppreſſione ortas curari ſolere . *Conſ. laud. Auctor. p.* 55. *de morb. vener.* Verum hujuſmodi remedium non tuti eſſe ſolet eventus , tamquam genus remedii morbo debendum . Ceterum quando ophthalmia fit a ſuppreſſione gonorrhoeæ mercurialium uſu carari debet.

ſant, dolent, & facile ad ſuppurationem veniunt. Hi dicuntur *inflammatorii*. Alii ſunt molles parum dolentes, & modicum calorem exhibent. Videntur ad indolem oedematoſam accedere. Demum ſunt nonulli, qui duri obſervantur, & nil aut parum dolent, nec ſuppurationem, vel adhibitis remediis ſuppurantibus, ſubeunt. Repreſentant indolem veluti ſcirrhoſam. Nonnulli bubones vel ſponte vel interveniente remediorum opera evaneſcunt. Alii vel fortiorum remediorum ſuppurantium vim eludentes inoffenſo veluti curſu maturationem ſubeunt. Tandem reliqui ſunt, qui omnem emollientium remediorum efficaciam ſpernentes reſtant ſemper duri, & renitentes. Tanta bubonum varietas pendet & a diverſa veneni venerei indole, copia, diverſa ægretantis temperie, & a diverſa glandularum inguinalium diſpoſitione, & a diverſa medicamentorum adplicatione. Harum rerum veritas ex quotidiana obſervatione innoteſcit.

Bubonis venerei ſymptomata. §. 12. Quando tumor adparere debet uno alterove ab impuro concubitu die

die (haud raro morbi adparitionem, & poſt aliquot dies, immo, & poſt aliquot hebdomadas ab impura venere fieri quotidianis obſervationibus conſtat) incipit tentionis doloroſæ ſenſus in inguine, & glandula parum tumefacta & dolens ab tangentibus digitis obſervatur. Quando bubo aut gonorrhoeam, aut ulcera penis ſequitur doloroſa veluti chorda ab inguine ad penem extenſa ab ægro perſentitur. Creſcit partis dolor quo augetur tumor, qui poſt paucos dies ad notabile faſtigium attollitur. Tunc æger non ſine dolore ambulare poteſt, & ardoris caloriſque ſenſus in tumore ſentitur, qui tumor ſi indolis inflammatoriæ eſt febri non caret, quæ febris per noctem augetur quodammodo mane cum ſudore univerſali remiſſura. Ea eſt veneni venerei indoles, ut quæ affert vel levia ſymptomata, hæc per noctem ſemper exacerbentur. Bubonis cauſam tenacem viſcidamque lympham trans glandularum inguinalium canales ægre nimis ductam & ad ſtaſim moramque ſubeundam facilem eſſe nemo du-

Bubonis cauſæ.

dubitat. Hujusmodi lymphæ tenacitas quemadmodum ex plurimis cauſis generalem humorum maſſam inſpiſſare valentibus fieri haud raro ſolet, ita per recens venereum virus ſuſceptum quotidie accidit. Nimirum ex cohibita perſpiratione oriri glandularum inguinalium tumefactionem, & ex generali rheumatico lentore quodam pariter tumorem fieri non novum eſt in medicina exemplum. Hicce morbus facilem admittit curationem. Frequens vero latentis venereæ labis indicium eſt bubo, qui fit quando per venereum virus generalem humorum maſſam inſpiſſans tenax lympha trans glandulas inguinales ducta hærens ſenſim ſenſimque cumulatur uſque dum tumorem generat. Verum heic ſermo eſt de bubone, qui ſequitur recens virus venereum ſuſceptum. Sive enim ſana mulier cum viro infecto, ſive vir ſanus cum muliere infecta coit per frictionem & calorem ita tenuari virus poteſt, ut ab inhalantibus vaſis lymphaticis per pudendarum utriuſque ſexus internam ſuperficiem excurrentibus hauriatur. Vaſa lymphatica

ha-

harum ſedum ut plurimum petunt conglobatas inguinales glandulas, in quas venenum feratur neceſſe eſt. Lympha ab adventu huius veneni coagulatur & figitur intraque glandularum ductulos hæret. Dum autem humores lymphatici per generalem circulationem ad eaſdem accedunt glandulas ob enatam ductulorum obſtructionem tranſire nequeunt, ſicque ſenſim ſenſimque moram facientes cumulantur. Urgentur & diſtrahuntur lateraliter vaſa nec non contextus celluloſus glandularum, & oritur earundem tumefactio cum nuper memoratis ſymptomatibus copulata. Hic eſt *venereus bubo eſſentialis*.

Qua ex cauſa ſymptomaticus fit bubo.

§. 13. Sed & frequenter *ſymptomaticus bubo* ſequitur ſuppreſſam gonorrhoeam, & ulcera penis præſertim frænulum occupantia. Nimirum dum lymphatica vaſa hauriunt lympham trans pudendas partes excurrentem accipiunt ipſam miaſmate venereo fædatam. Dum autem inguinales glandulas petit lympha jam per labem veneream viſcidior tenaciorque ſolito facta, debet neceſſario glandularum obſidere & obſtruere du-

ductulos, ſicque tumebunt glandulæ, buboque adparebit. Quod malum eo vel maxime accidit, quo per ſuppreſſam gonorrhoeam venenatæ multæ particulæ abſorptæ a vaſis lymphaticis ad glandulas inguinales feruntur. Quando fluit gonorrhoea lympha redux e gonorrhoeæ ſedibus, tunc aut nihil, aut parum venenatis particulis inficitur, ſicque raro bubo excitatur. En ratio cur bene fluentem gonorrhoeam aut numquam aut raro ſequitur bubo, cur gonorrhoea et ulceribus laborantes mulieres raro in bubonem incidant; iis enim madidæ ab affluentibus humoribus jugiter ſunt pudendæ partes, ſicque dilutæ & fluxiles avadunt venerei veneni particulæ & facile expelluntur. En pariter ratio cur initio virulentæ gonorrhoeæ poſt ſtiptica, & adſtringentia remedia adhibita potiſſimum per ſyringas in pudendas partes immiſſa appareat bubo. Dum fræmuli glandis ſedes ulceribus venereis obſidentur facile bubo apparet. Id accidit ex ratione, qua conſtat ab iis locis multa vaſcula lymphatica exire, & recta inguinales glandulas petere. Hæc

va-

vaſcula venenatas particulas haurientia ſtatim ad glandulas inguinales conducunt, & morbum, de quo ſermo eſt, pariunt. Quod affert *Suediaur* de bubonibus ortis ab ulceribus cutim per inguinum ſedes excurrentem occupantibus, id intelligendum eſt fieri aut per conſenſum nervorum glandulas inguinales conſtringentium, aut per abſorptionem veneni ab vaſis lymphaticis externas inguinum partes perreptantium, indeque glandulas petentium. Vid. loc. cit. p. 142. Quod ſi aut per latentem diu veneream luem in totos humores diffuſam, aut, per recens admiſſum virus poſt coitum impurum, perque ulcera venerea, & ſuppreſſam, aut parce fluentem gonorrhoeam oriatur bubo, ſemper verum eſt modo utrumque inguen, modo alterutrum tumore obſideri. Id pendet non modo a diverſa veneni conditione, & glandularum inguinalium diſpoſitione, qua efficitur, ut potius dextera, quam ſiniſtra, aut ſiniſtra, quam dextera ſedes bubone afficiatur, ſed pendet quoque ab quibuſdam exter-

nis cauſſis, ſi ſcilicet in una glandula fit preſſio, decubitus, conſtrictio &c. magis, quam in alia; illa ob difficilem tranſitum lymphæ concipiet potius bubonem.

Symptomatum bubonem comitantium ratio.

§. 14. Symptomata bubonem comitantia intellectu facilia ſunt. Tumor fit a majori lymphæ tenacitate, qua obſidentur inguinas glandularum ductuli, ſicque non poteſt eodem modo, quo fertur lympha revehi, & ſenſim ſenſimque diſtendens glandulas tumores producit. Dolor a diſtractione nervorum inguinales ſedes perreptantium oritur. Diſtractio creſcit, in motu muſculorum articulationum inferiorum, ſicque in aucto multum & dolente bubone ambulatio difficilis evadit. Et ab eadem nervorum diſtractione cum glandulæ inflammatione copulata febris derivat, quæ ad noctem ideo exacerbatior fit, quia ob defectum perſpirationis venerea labes recrudeſcit, & augentur nervorum irritationes. Auctam febrim ſequitur craſſorum humorum tenuatio, qui, adparente mane, cum febris remiſ-

miſſione per ſudorem difflantur. Inflammatorius bobo facile reſolvitur, facileque ſuppurat. Œdematoſus lente ad ſuppurationem tendit, & difficile reſolvitur. Et ſi aliquam ſuppurationem nonniſi imperfectam ſubire videtur. Non raro ſuppuratio accidit tantum in cellulari glandulas inguinales involuente; tunc, intacta glandula, parva ichoris quantitas educitur poſt huius ſuperficialis bubonis ſuppurationem. Scirrhoſus nec ſuppurat, nec reſolvitur umquam, ſed in dies, inſpiſſata magis lympha, induratur.

§. 14. Signa, quibus dignoſcitur bubo ab impuro factus commercio, cognitu facillima ſunt. Et ex iis, quæ in chirurgia de enterocele diximus facile colligere poteſtis quomodo bubo diſtinguendus ſit ab indicato inguinum morbo. Methodus tutiſſima huiusmodi curandi bubonis apud nos eſt ſequens. Statim ac bubo apparet emollientibus & leviter ſuppurantibus remediis procuramus, ut, quo citius fieri poſſit, ad faſtigium accedat. Si admodum dolens *Bubonis venerei curatio.*

eſt ſanguinem ſemel iterumque mittimus, & adfectæ parti malvam coctam adplicamus. Quando convenienti tumore extuberat in inguine bubo, ipſum candenti ferro aperiendum jubemus: aut ſi perfecte ſuppuratus cultro aperiendus eſt. Poſt eſcharam elapſam laudabilis incipit ſuppuratio, qua decidit conſumpta glandula bubonem conſtituens. Obſervavit Suediaur ulcus poſt bubonis aperturam ut plurimum ſordidum ac malæ indolis excitari & ab ſcorbutica humorum labe, & ab vaſorum fibrarumque partium inguinalium atonia, & laxitudine fieri. Huic vingendo morbo mercurium non valere, ſed proprium remedium eſſe deſumendum ab corroborantibus & herbis antiſcorbuticis. Hujus veritatis teſtimonia, ab obſervationibus, quas refert in laudato opere p. 160. habentur. Sic ſenſim ſenſimque, interveniente parva febri, in debitam cicatricem pars pervenit nullam in ſanguine ut plurimum labem relinquens. Dum hæc peraguntur decoctiones ſarſæ parillæ & ligni gajaci toto die

die bibendæ ægro conceduntur. Et nos cum prudentia alvum ſolutam tenemus, & antifebrilibus remediis potiſſimum a chinchina electa & ſalibus inciſivis, nempe ammoniaco, & polychreſto deſumptis febri intervenienti, perſeveranti, ac veluti per periodum recurrenti medemur. Noſtrates chirurgi in bubone frigido lenteque ad ſuppurationem tendente calefacientia, & pinguia ſcilicet oleum, malvam cum croco & aſſungia copulatam, & his ſimilia adhibent, quibus etiam procurant tumoris ſuppurationem. Et reliquiis glandularum per ignem admotum, & per ſuppurationem nondum elapſis admovent trochiſcos de minio, & ſublimato corroſivo confectos, quibus conſumptio, & expulſio fit cuiuscumque duri corporis in inguine poſt admotum ignem relicti, a cuius decidentia felix inde obtinetur ulceris cicatrix. Verum vos monitos ſemper volo, adoleſcentes, ut huiuſmodi remedii genus nonniſi ſuſpenſa ac tentabunda veluti manu adhibeatis. Poteſt enim ſumma irritatio, quam parit vehemens cauſti-

cum convulſionem arceſsere, quæ in vitæ diſcrimen ægrum coniicere ſolet (*r*).

§. 15.

(r) Peſſimus ille mos adhibendi buobonibus cauſtica potentiſſima ex calce, & ſapone confecta (*ignem mortuum* vulgo adpellant) penitus damnandus, & a bona praxi abiiciendus eſt. Vidi enim frequenter ab adhibitis hujuſmodi remediis enatum biduo tetanum, a quo ægri interficiebantur. Sive quod per ignem mortuum venenum paratur, quod ſanguini transfuſum peſſime nervos afficiat, ſive quod per diuturnam & continuam vehementem irritationem nervis per inguina diſperſis, indeque toto corpori communicatam, ſive quod per potentiſſimum cauſticum diſſipetur, ac veluti volatile fiat venenum gallicum, quod ab inguinalibus glandulis diſcedit, & cunctis nervis labem infert, ſive ob aliam rationem nobis ignotam, certum eſt ab admoto inguinibus hujuſmodi cauſtico tetanum ægros brevi perimentem excitari ſolere. Et ægri vel hoc infortunio carentes tuti non ſunt de admoti cauſtici operatione. Ut plurimum enim tantum integumenta uſtione corripiuntur, quibus elapſis reſtat glandula intacta. Hujus poſtea deſtructioni inſervire debent

Sequitur bubonis ejuſdem curatio.

§. 15. Verum non negamus dari bubones peculiaris indolis, qui vel efficaciſſimis ſuppurantibus adhibitis in re-

D 4 fo-

---

bent nuper memorati pænis & tormentis multis afferendis aptiſſimi trochiſci. Ergo iterum dicimus tutiſſimam methodum feliciter curandi bubonis eſt uſtio, quam per vivum ignem, ideſt per ignitam ferream ſagittam adhibemus, qua penitus deſtruitur glandula, & media ſuppuratione, decidit. At me non latent quæ adverſus hanc tutam curandi bubonis praxim nunc gravia momenta a recentioribus quibuſdam clariſſimis auctoribus proferuntur. Dicunt enim dum ignita ſagitta immergitur in tumidæ glandulæ centrum maximòpere irritatur, & cum ipſa reliquæ viciniores glandulæ ab ignis actione irritantur, atque veluti ſideratæ remanent ſolito duriores liberam ulceris cicatrizationem impedientes. Eſchara duriſſima ægre admodum ſeparabilis moram dat puri fluxum quærenti, quod irritando magis vicinas glandulas eas reddit ſcirrhoſas. Id probatur ab obſervatione acutiſſimarum febrium eſcharæ ſeparationem excipientium, ab multa putredine in ulceribus enata, quæ educunt fetidiſſimum ichorem, provenientium. Nec raro huic

ſolutionem abire contendunt. Nec deſunt caſus hominum, qui veluti ab inevitabili ducti neceſſitate bubonum reſolu-

---

huic ulceris ſorditiei additur gangræna, quam comitantur funeſtiſſimæ homorrhagiæ vitæ finem imponentes. His addunt poſt vivi ignis applicationem ulcus diu apertum multum pus effundens ſervari, a quo vaſa venenum haurientia ipſum circulanti ſanguini communicant, ſicque poſt ulceris cicatricem reſtat corpus univerſali labe infectum. Nec vana exiſtimanda eſt glandularum inguinalium deſtructio, quarum operam vitæ œconomiæ inſervire credunt. Ab tantis itaque rationum momentis ducti meliori ſenſu putant bubonis venerei reſolutionem, adhibitis remediis ad id opportunis, tentare, quam per vivum ignem ſuppurationem areceſſere. Illam enim methodum tutiorem, nec periculis, nec incommodis, nec doloribus plenam eſſe adfirmant. At hæc & alia, quæ in medium afferri poſſunt graviſſima argumenta ab præſcripta per ignem vivum bubones curandi methodo vos avertere non debent adoleſcentes. Nimirum licet verum ſit commodiorem, & doloribus, nec non vulneribus ulceribuſque expertem eſſe illam methodum, qua bubones reſolvuntur, attamen tuti non

lutionem procurant. Quando itaque hoc in caſu bobonis reſolutio tentari debet ſequentia debent adminiſtrari. Sanguis ſe-

---

non ſunt ægrotantes de illa veneni venerei quantitate, quæ circulantibus humoribus communicatur, quæque juxta diverſas internas diſpoſitiones modo unam, modo alteram partem magni in corpore uſus adoritur mortem ut plurimum ægroti afferens. Sancte teſtari poſſum multos, quibus bubones reſoluti ſunt, modo in phthiſim, modo in guaves nervorum, & cerebri læſiones, modo in indomabilem ſcorbuti ſpeciem, modo in fortiſſimam abdominalium viſcerum labem, modo in unam, modoque in aliam affectionem, a qua pene ſemper interfecti ſunt, incidiſſe, me in praxi obſervare ſolere. Quando per ignem vivum curatur bubo, licet forti ſtimulo inguinales partes in actu uſtionis irritantur, tamen paulo poſt per ſupervenientem laudabilem ſuppurationem remittuntur, & ſolvuntur conſtricta vaſa humores pro optimo pure elaborando effundentia intra cavum ulceris. Nam ſive quod per ignem vivum invertitur, & mutatur veneni indoles, ſive per vehemens ſtimulum in inguine factum ab omnibus corporis partibus advocantur vitioſi humores, & foras expelluntur,

ſemel iterumque eſt mittendus, & draſtica cathartica ex ſarſa ſolutiva, & mercurio dulci parata ſunt quotidie propi-

tur, ſive quod per ſuppurationem virus venereum quandam digeſtionis ſpeciem adquirat, ſive ob aliam rationem, certum eſt in praxi tutiſſimam curandi bubonis venerei indicatam mothodum evadere. Quotidie turmatim multi petunt incurabilium Noſocomium homines bobonibus venereis affecti. His tutiſſima, & liberrima manu a Chirurgis noſtris adplicatur per ignitam ſagittam vivus ignis, & poſt paucos dies feliciter curati diſcedunt. Neque denegamus inter tot millia hominum memorata methodo curatorum aliquem reperiri, qui per malam humorum diſpoſitionem in fædiſſimam ſuppurationem, indeque in febrim vehementem incidere, a qua omnia fluida corrumpuntur, indeque, poſt apertum per vivum ignem bubonem, interire. Nam univerſali legi peculiaris caſus non obeſt. Neque recta prudentia regitur medicus, qui data methodo dato morbo correptos millia & millia hominum feliciter curat, eam methodum derelinquit, ſi unum alterumve hominem illo dato morbo affectum data illa methodo tractatum interire comperiet. Peculiaris enim caſus utpote natus a pe-

ca-

pinanda. Litus mercurialis mane & ſero ſupra glandulam eſt faciendus, & abs re non erit nivem contritam cum aceto copulatam parti affectæ pluries de die adhibere. Litus mercurialis optimus eſt ſi adminiſtratur in internna femo-

---

culiaribus cauſis generalitati non officit. Neque denegamus poſſe aliquando totam humorum maſſam infici, extante in ſuppuratione bubone, ſed hujuſmodi infectio tam parva eſt, ut, vel minimo adhibito interiori medicamento, tollatur. Hæc infectio non eſt comparanda cum illa, quam ægri concipiunt per bubonis reſolutionem. Hæc enim vel maximis adhibitis remediis aut ægre nimis, aut numquam tollitur, & ut plurimum occidit. Neque verum eſt machinæ integritati non proſpicere eum, qui deſtruit glandulas inguinis. Nam præterquam quod hujuſmodi inguinis glandulæ parvi ſunt in corpore uſus, pariter multæ aliæ glandulæ in inguine reſtant poſt unius, alteriuſve deſtructionem, quæ valent machinæ integritati proſpicere. Igitur per rationem & experientiam conſtanti rerum obſervatione diu confirmatam dicendum bubones venereos vivo igne aperiri, & per laudabilem ſuppurationem curari debere.

moris, & cruris parte. Nam ab hac ſede exeunt vaſa lymphatica, quæ glandulas inguinales petunt, a quibus abſorptus mercurius, & ductus ad indicatas glandulas facilem bubonis reſolutionem procurat. Nonnulli laudant unguentum ſublimati plantis pedum pluries illitum, quo felicem bubonis reſolutionem fieri prædicant. Conſulit *de luæ ven. Cl. Dominici Cirilli tract.*. Vidi cum magno fructu ſublimati corroſivi granum unum in ſpiritus vini unciis duabus ſolutum quotidie interne propinatum ſummopere profeciſſe. Quando facta eſt bubonis reſolutio cauti eſſe debemus, ut tota veneni labes cunctis immixta humoribus expellatur. Huic obeundo fini inſerviunt aquæ antivenereæ, ptiſanæ ex lignis indianis paratæ, mercurius modo interno uſu, modo hydrargyroſi adhibitus, recta victus adminiſtratio, & conveniens tranſpirationis cuſtodia. At de cura univerſalis venereæ luis redibit infra ſermo. Hactenus expoſita reſpiciunt curationem bubonis, præſertim inflammatorii, indeque oedematoſi. Ad bubonem autem ſcirrhoſum quod ſpectat ani-

animadvertendam huiusmodi bubones oriri ſolere, quando eluſa remediorum omnium efficacia nec reſolvuntur, nec ſuppurantur, ſed ſenſim ſenſimque materie in tumore contenta indurata, ac denſata, convertuntur in duros, renitentes, indolenteſque tumores, qui vocantur *bubones ſcirrhoſi*. Hi accidunt & propter naturam lymphæ juſto tenaciorem, viſcoſioremque, & propter veneni indolem, multitudinemque naturalem lymphæ tenacitatem ulterius inſpiſſare aptam, & propter remediorum topicorum, alterantium, calefacientium, aut aliter operantium, quibus diſſipantur tenues in bubone contentæ aqueæ partes, & quod reliquum eſt inſpiſſatur, fietq. ſcirrhus. Hic tumor modo racematim eſt ſparſus, modo mobilis, modo admodum adhærens ſubiectis eſt partibus. Numquam dolet, neque multum impedit ambulationem, & ſi aliquando dolere incipit in carcinoma converti poteſt. Si glandula eſt ſolitaria ita ut ſimul & ſemel abſcindi poſſit, bonum eſt, idque tutiorem dat curationem, eam ſimul & ſemel aut nova-

ca-

çula , aut forcipe extrahere . Si vero multum ſubiectis partibus ſcirrhoſus bubo eſt adligatus , tunc ſola hydrargyroſi convenit ipſum curare. Nam ſi aut igne vivo ipſum aperimus metus eſt ne in cancrum commutetur . At ſedulo vos monitos volo adoleſcentes, ut ſcirrhoſum bubonem a frigido diſtinguatis; ille enim ſemper luis confirmatæ ſymptomata eſt , hic ut plurimum a lue recenti fit. Hunc frigidum, parum dolentem, & durum tumorem etiam vivo igne aperire , & curare feliciter ſolent noſtrates chirurgi .

ARTICULUS IV.

Ulcera Venerea .

Quibus ſignis venerea ulcera noſcenda ſunt.

§. 16. INter ſymptomata haud infrequentiora poſt luem recentem ſuſceptam numerari debent venerea ulcera , quæ dici vulgo ſolent peſſima inter morbos venereos accidentia . Sunt enim rotunda , calloſa, ſuperficialia , duro ambitu , & ſuperficie ſordida prædita , quæ utriuſque ſexus ge-

genitalia occupare ſolent ulcuſcula. Nam in viris internam externamque præputii totam faciem, glaudem, ejuſque coronam, necnon frænulum, in mulieribus vaginæ labia, nymphas, clytoridem, eiuſque præputium, atque vaginæ oſtium occupare ſolent. Hæc quidem loca & ex recenti, & ex jampridem latenti lue ulcuſculis fædari ſolent. Licet verum ſit & coronam ani, quemadmodum in pathicis accidit, & oris labia, nec non totam buccarum & palati, ac linguæ ſuperficiem, & papillarum mammarum faciem oſculatu, ſuctione, lactatione, aliiſque modis ulcuſculis venereis obſideri ſolere, prout quotidiana docet obſervatio. Hæc ſedes ideo ulcuſculis venereis præ cæteris fædari ſolent, quia ſunt craſſa cute orbatæ, & modo glandulis tenuem oleaginoſum humorem eructantibus, modo vaſculis hiante ductu tenuem rorem pro humectatione, ſenſibilitate, lubricitateque ipſarum partium factum educentibus ſcatent. In huiusmodi glandulas, & inhæc vaſorum oſcula irruit virus, quod peculiari ſpecie craſſum & tenax ulterius penetrare non aptum loca ſuper-

perficialiter invaſurum nil niſi ulcuſcula excitat. Quando hæc ulcuſcula fieri debent poſt impurum concubitum quædam moleſta pruritus ſenſatio ſentitur, quæ ſenſim ſenſimque aucta in dolorem fortem mutatur, qui eo evadit crudelior, quo & ſordidiora, & magis depaſcentia, ac gangrænoſa ſunt ulcuſcula. Veneni mora & corroſione rumpitur pellicula indicatas ſedes obveſtiens, & continuata eroſione ulcuſculum dilatatur, & excavatur apice albo, & margine calloſo præditum, & ex diſciſſis vaſculis manat pus fætidum. Antiqua ulcuſcula producunt nova, hiſque depaſcentibus, ac corrodentibus, ſi apta non adhibetur medela, utriuſque ſexus pudendæ partes gangrænoſo tabo conſumuntur.

Quibus ex cauſis fiunt ulcera eorumque varia enarratur ſpecies.

§. 17. Ex quibus aperte colligitur ulceribus venereis producendis par eſſe venenum viſcidum tenaxque, quod ægre admodum, ſaltem in primis poſt concubitum impurum diebus, a vaſis abſorbentibus hauritur, ſed cum oleoſis pudendarum partium particulis commixtum ſupra indicatas ſedes tantum

hæ-

hærens, quantum maligna corroſione ulcera venerea valent producere. Nam præterquamquod veneni corroſione laceſſiri, & corrodi ſolidæ partes poſſunt, debet pariter per exhalantium vaſorum obſtructionem enatam a viſcoſitate, & coagulo a veneno exhalantibus humoribus mixto impediri exitus ipſorum humorum exhalantium, quapropter diſtenduntur, & turgent memoratæ partes. Diſtentionem ſequitur dolor, dolorem ulterior fibrarum corrugatio, hanc conſtans ſemper roris exhalantis impedimentum excipit. Ita cum levi tumefactione fit corroſio ſolidi, & ulcus excitatur. Et ex varia loci conditione, veneni venerei maligniore, benignioreque indole, mora diverſa, diverſaque medicamentorum applicatione oritur diverſa venereorum ulcerum indoles. Quando in ſummo apice oſtiola aperiuntur cum humorum tenuiſſimorum effuſione copulatur ulceris ſubſidentia, & fundum ulceris alba & parum calloſa ſuperficie veſtitur ex inducta circulanti lymphæ per infuſum venenum ſumma viſciditate. Manat ichoroſum pus, qui male

afficit vicinas, quas tangit partes; Nec denegamus ex varia ulcerum conditione, varioque ab ipſis manante pure oriri diverſa pudendarum partium depaſcentia ulcera. Vidi aliquando quosdam tam rapide gangrænoſo miasmate depaſcente per concepta ulcera venerea vexari, ut intra paucos dies totus penis ipſis videretur conſumptus. Nonnullos alios obſervare ſoleo in praxi, qui ab multoties conceptis in variis locis penis ulceribus venereis aut nihil, aut parum mali expectabant. Huic vario ulcerum effectui producendo an par ſit quoque diverſa ſanguinis boni, vel mali conditio? Scimus enim per obſervationes ulcera cujuſcumque indolis ſint, deſumere ſolere diverſam conditionem a diverſa ſanguinis craſi. Id eo vel maxime verum eſt in venereis ulceribus, quo hæc producuntur a diu latente in ſanguine labe venerea, & oriuntur ulcuſcula a veneno per circulationem ducto ad pudendas partes, & oleoſis ipſarum partium humoribus mixto. At poſſunt primo ulceri alia ulcuſcula veluti agminatim diſperſa accedere ex pri-

prima per contagium recepta labe, quæ labes licet majori copia in loco, in quo primum apparuit ulcus collecta fuit, at in vicinas partes potuit vel minima quantitate colligi, ſicque parva primo ulceri accedere poſſunt ulcuſcula. Et quando multum corroſiva eſt horum ulcerum indoles, tunc, conſumptis ſanis intermediis partibus, totus locus in unum fætidum malignum, gangrænoſumque convertitur ulcus. Nec raro ex ipſa ulcerum venereorum irritatione fit aut phimoſis, aut paraphimoſis (s). *Phimoſis & paraphimoſis idemdatur.*

F 2 Ul-

(s) Quando præputium ulceribus venereis fædatur non levem ſentit irritationem, quam comitatur magnus dolor, magnuſque humorum affluxus. Tunc tumet & extremis marginibus tam arcte glandem arctat, ut ad poſteriora deduci non poſſit. Hanc veluti glandis *ligaturam* græca voce adpellant *phimoſim*. Non raro præputium pone glandis coronam retractum ita corrugatur conſtringiturq;, ut ad anteriora nullo modo ferri poſſit. Hunc ſtatum *circumligaturam* veluti repreſentat, & dicunt *paraphimoſim*. In primo igitur caſu glans ſuo præputio cooperta de-

Ulcuſcula vero, quæ aut ab humorum ſalledine, aut a multa partium diſtractione, quam patiuntur ii, qui cum mu-

---

denudari non poteſt, in ſecundo operiri nequit propter enatam circum penem fortem ligaturam. In diuturno præputii tumore ſolet non raro apparere bullarum aquoſarum & cryſtallinarum acervus internam tumoris faciem, ut plurimum occupans. Simile huic incommodo malum patiuntur mulieres, & pathici, quibus & vulvæ labia, & nymphæ, & clitoris, & vaginæ orificium, nec non ani confinia per oborta, contagio intercedente, venerea ulcera intumeſcunt, doloremque multum excitant. Et balanus ipſe nimis quoque tumere poteſt propter ſtimulum ab ulceribus excitatum, quo factus humorum affluxus major ſemper refluxu, tumidum facit balanum, ſicque aut coopertus a præputio denudari, aut denudatus operiri non poteſt. Igitur fieri poteſt phimoſis, & paraphimoſis, quando lymphæ & ſanguinis affluxus refluxu fit major, aut in pene, aut in præputio. Id duplici ratione accidere poteſt. Aut enim refluxus deficit, quando naturalis eſt affluxus, aut naturalis eſt refluxus, & augetur affluxus. In ulcerum venereorum præſentia utrumque vitium accidere poſſe in præpu-

muliere anguſtam vaginam habente rem habent, producuntur, ſunt ſuperficialia non rotunda, non calloſa, non mali-

---

putio, & balano propter compreſſionem, & ſtimulum, quem pariunt ulcera in vaſis indicatas ſedes invadentibus, omnibus notum eſt. Stimulum & ſanguinis obſtructionem in vaſis arterioſis inflammationem ſequi debere conſtanti patet experientia. Quando itaque per præputium, & balanum inflammatum anguſtatur via transfluenti urinæ, ipſa debet & ſtillando, & cum dyſuria excerni. Quando præ juſto turgent ſanguinea vaſa transfunditur quodammodo ſerum, & in exeſa balani, & præputii cuticula colligitur, hydatideſque fiunt turgidæ magis vel minus lympha pro majori, vel minori tumoris ratione, & majori, vel minori mora, qua factus eſt tumor. Et cum tantis irritationibus inflammationem ſenſibilium partium producentibus comitari febrim certum quoque eſt. Hæc ſymptomata obſervantur in phimoſi, & paraphimoſi mulierum, atque pathicorum. Morbus periculo plenus eſt: ut plurimum enim in gangrænam tranſit. Veleni indoles maligna, partes molles, & humoribus perfuſæ, obtecta facies ulceris repudians immediatum medica-

gna, & adhibita vel ſimplici aqua cum ſale prunelle copulata facile curantur.

Ulcerum venereorum curatio. §. 18. Ulcerum venereorum curationem abſolvunt ea remedia, quæ valent detergere & mundare eorum ſordidam ſuperficiem, calli deſtructionem procurare, & cicatricem inducere. In primis autem ſedulo adverteudum, ut, ſi adſit, cito tollatur inflammatio. Huic curando valet perennis fotus pudendarum partium ex decoctione aut chamæmeli, aut fænu græci, aut altheæ factus, ſanguinis miſſio repetita, & aliquando ipſi intra memoratas emollientes decoctiones inſeſſus repetiti. Poſt ceſſatam inflammationem cathæreticis utendum eſt, ut mucoſa & viſci-

da

---

mentorum contactum, & his ſimilia prænunciant facile venturam in phimoſi, & paraphimoſi gangrænam. Verum parva tumoris moles, benignior veneni natura, febris abſentia, nullæ, aut parvæ hydatides, ruboris, & doloris tumorem comitantis remiſſior indoles phimoſis, & paraphimoſis curam facilem promittunt, de qua mox dicemus.

da materies fundo ulceris inhærens, avellatur, & interna ulceris facies mundata roſeo colore induatur. Noſtrates chirurgi laudant aquam phagædenicam, qua pluries de die ulcus ſordidum abluere ſolent. Adhibent quoque cum fructu unguentum paratum ex oleo olivarum ſpiritu nitri & mercurio vivo confectum, cujus remedii virtutem in quocumque ſordido ulcere mundando feliciter in noſtro noſocomio obſervavimus. Vidi frequenter pro mundandis calloſis, & ſordidis ulceribus venereis lapide infernali vel ſuſpenſa manu adhibita non dari efficacius remedium. Quando ulcus cathæretico tactum pluries eſt, ad procurandam citam eſcharæ decidentiam faciendus eſt uſus aut butyro inſulſo, aut unguento baſilico, aut vulgari digeſtivo. Pulvis autem ſabinæ cum mercurio dulci copulatus optimum remedium eſt pro abſtergendo & curando ſordido calloſoq. ulcere venereo. Quando ulcus mundatum eſt, tunc aut ſimplici unguento ægyptiaco, aut balſamo arcæi, aut digeſtivo vulgari cum parva mercurii

vivi quantitate copulato adhibito cicatrix procuranda eſt. Dum hæc peraguntur aquæ antivenereæ, ptiſanæ ex lignis indianis, pulveris ſarſæ parillæ drachma una, mercurii dolcis granis decem confectæ quotidie ſunt exhibendæ, ut inde, quo fieri poſſit corrigatur, ac expelletur ſi quæ in ſanguine ſit, labes venerea. Id eo vel maxime convenit ſi ab univerſali ſanguinis vitio, ſcilicet confirmata lue, morbus fovetur. Huic vero penitus tollendo morbo valet præceteris hydrargyroſis, quemadmodum quotidiana docet obſervatio. Fimoſis curationem præ omnibus abſolvunt fomenta emollientia ex lacte tepido, & decoctione altheæ aut chamæmeli parata, & injectiones & repetitæ ſanguinis miſſiones. Hiſce jugiter adhibitis humectantibus & reſolvenribus laxari ita præputium ſolet, ut evaginari glans facile poſſit. In paraphimoſi hujuſmodi auxilia conveniunt. Quod ſi hiſce adhibitis, obſervatur nullam eſſe reſolutionis ſpem, interim ſubeſt timor morbum in gangrænam converſum iri, tunc ad reciſionem, vel circumciſionem faciendam cito animus

mus parandus eſt. Hac inſtituta circa balanum præputii ſectione glans evaginatur, & occurrit medico penis præſens ſtatus, cui pro neceſſitate adhibet remedia, & potiſſimum ea, quæ gangrænam aut incipientem cohibere, aut factam tollere valent. Chinchinæ decoctio cum aloe, & camphora copulata ſummopere prodeſſe ſolet. Hoc remedium & interne ſumi, & parti affectæ adhiberi poteſt. Quod ſi aut admodum dura & calloſa ſit fimoſis, aut cum fimoſi copulatur calloſa per dorſum penis excurrens chorda, tunc litu mercuriali ſemel iterumque de die ſuper affectam partem inſtituto morbus curandus eſt. Apparèntia poſt phimoſis, & paraphimoſis ſolutionem ulcera rite curari debent (*t*).

AR-

(t) Poſt ulcerum, & phimoſis curationem apparere ſolent calli renitentes & duri ad inſtar nodorum conglobatorum per totam glandis, & præputii faciem diſperſi. Dicuntur *Phimata*; quorum origo debetur lymphæ juſto tena-

ARTICULUS V.

Porri, & Verrucæ partium genitalium,

Quid porri, quidve ſint, & quotuplex verrucarum ſpecies.

§. 19. POſtremam recentis luis venereæ labem, nempe porros, & verrucas deſcribere fas eſt. Poſt concubitum impurum haud raro duræ & reſiſtentes excreſcentiæ verrucoſæ germinant in genitalibus utriuſque ſexus, nempe in virorum balano, & præputio, nec non in ani corona pathicorum, atque in mu-

---

naciori viſcidiorique factæ, & circa vaſcula totam ulcerum ſedem perreptantia collectæ. Si phimata non dolent cathæreticis, & potiſſimum præcipitato rubro unguento baſilico excepto ſunt deſtruenda. Et haud vana erit inunctio unguenti mercurii circa loca, quibus phimata hærent, inſtituta. Si autem nimis dolent, & metus eſt ne morbus in carcinoma commutetur, tunc caute diluentibus, & emollientibus remediis tractari debent, atque, ſi fieri poteſt ſiniſtra manu apprehendi, atque inde cultro radicitus abſcindi poſſunt. Quod reſtat poſt ſectionem ulcuſculum ad cicatricem caute ducendum eſt.

mulierum vulvæ labiis, clitoride, nymphis, &c. . Juxta diverſam figuram varia ſortita ſunt nomina. Dicuntur *porri*, quando exiles, teretes & oblongi ſunt. Quando ſunt teretes, & planiores, brevioreſque, tunc vocantur *verrucæ*, quando extenduntur in aream oblongam, & complanatiorem adpellantur *condylomata*. Demum nominantur *criſtæ*, quando in fimbrias ſeu lacinias latas & foliacias excreſcunt. Hujuſmodi verrucæ haud raro ſuccedunt venereis nuper curatis ſymptomatibus, & præſertim ulceribus. Nonnullæ ſunt molles, & parum dolentes, aliæ ſunt duræ & calloſæ, nilque dolentes. Aliæ ſunt rigidæ & aridæ, aliæ ex apicibus ſtillant tenuem ichorem. Fiunt ex tenaci lympha ope veneni venerei plus juſto coagulata, quæ ea ratione colligitur in locis, in quibus hæret venenum venereum, quia propter corroſivam hujuſmodi veneni indolem lymphatica vaſa aperta emittunt lympham coagulatam morboſæ vegetationi faciendæ opportunam. Scimus enim excreſcentias pendere ab jugi appulſu te-

na-

nacis humoris, qui non æquali ratione redit, & per perturbatam vaſorum directionem male apponitur morboſam veluti nutritionem facturus. Hunc tenacem humorem conſtituit lympha ab veneno venereo cogulata, quæ per ſtimulum majori copia venit in vaſa jam eroſa, & mala ejuſdem lymphæ appoſitione fit morboſa verrucarum excreſcentia. Hinc apparet ex diverſa virus venerei ſcaturigine, ex varia loci declivitate, qua virus huc vel illuc copioſius influit, ex varia cuticulæ ſuperpoſitæ læſione, apertura, ſeparationeq., qua magis vel minus virus intromittitur, ex varia veneni modo acrioris, modo temperatioris indole, ex diverſa laxitate, mollitieque cellularis, qua aut ægrius, aut facilius virus imbibitur &c. varia oritur verrucarum ſpecies, variaque fiunt symptomata verrucas comitantia.

Excreſcentiarum venerearum curatio. §.20. Poſſunt hujuſmodi excreſcentiæ verrucoſæ prodire e ſemineo venereo jam pridem in ſanguine recepto, quod ſane argumento nobis eſſe poſſet luis confirmatæ. Ad hunc ſtatuendum morbi

bi ſtatum requiritur fidelis ægroti confeſſio, a qua diſcere debemus an memoratæ excreſcentiæ ſint recentis, aut inveteratæ luis symptomata. Quando ſunt duræ & dolentes, & e ſummo apice ichorem effundut, tunc carcinomatis naturam æmulantur, & quandam curationis difficultatem promittunt. Ceterum porri, verrucæ, & criſtæ (nam de condylomatum æthiologia, & cura alibi mentionem fecimus (*u*)) facile curantur. Si ſuſpectio diu latentis in corpore luis eſt, hæc ſtatim aut adhibitis interno uſu mercurialibus, aut plena hydrargyroſi eſt expellenda. Si vero poſt recens admiſſum venenum germinant cathæreticis ſunt ſtatim expellendæ memoratæ excreſcentiæ verruсoſæ. Huic operi favere ſolent vel unguentum ægyptiacum cum præcipitato rubro capulatum & ſuper plumaceolas poſitum, partique affectæ admotum, vel pulveres ex æquali parte ſabinæ, &

(u) Chirurgia Theoret. P. I. p. 123.

& præcipitato rubro confecti, vel ſpiritu nitri, in quo uſque ad ſaturationem ſolutus ſit mercurius vivus, vel aqua aluminoſa Falloppii, vel rectius lapis infernalis, qua tangi pluries debent memoratæ excreſcentiæ uſque dum penitus exareſcant. Sed meliori conditi ne curantur ſi ſummis digitis ſiniſtræ manus accipiantur, & forfice in dextera manu poſita ad uſque cutem recidantur. Relictæ poſt ſectionem baſi excreſcentiarum adplicanda ſunt nuper memorata cathæretica eo fine, ut penitus penituſque deſtruantur, & partes venereæ, callis deſtructis, ne novos germinant porros, aliquando igne deſtruendæ ſunt (x).

AR-

(x) Claudit ſymptomatum poſt recens admiſſum in corpore virus adparentium ſcænam excreſcentiarum circa anum adparatus, quarum hæc eſt figura & indoles. Quædam elongatæ appendices ſitu & magnitudine variæ cuti concolores ſimiles gallinarum criſtis non

raro

ARTICULUS VI.

Lues Venerea Confirmata.

§. 21. VEnerea lues quando totis mixta eſt humoribus nullam corporis relinquere ſolet partem, cui noxam non infert. Tunc variis ludere *Venerea lues confirmata cunctas lædere ſolet corporis partes.*

---

raro circa anum apparent, quæ dicuntur *criſtæ*. Quæ vero ſunt excreſcentiæ indicatis duriores, ſphæricæ, globoſæ, granoſæ, mole & magnitudine variæ ano adnatæ nunc *thymi*, nunc *fragæ*, nunc *mora*, nunc *fici*, aut *mariſcæ* appellantur. Harum vocum varietas pendet a varia magnitudine, & figura, qua memoratæ excreſcentiæ ornantur. Demum in fundo ſulcorum anum radiatim ambientium doloroſæ excitantur fiſſuræ, quæ vulgo *rhagades*, vel *rhagadia* appellari ſolent. Harum duplex eſt indoles. Nonnullæ ſunt ſuperficiales mollibus marginibus ſeptæ parum dolentes, bonoque pure repletæ. Hæ ſunt *benignæ*. Aliæ profundæ ſunt calloſis, & duris labiis reduplicatis terminantur, dolent admodum, & ichorem effundunt. Sunt mali moris phagædenicæ hujuſmodi rhagades. Quan-

dere symptomatibus videtur, ut non unicus, vel alter morbus, ſed morborum ilias appareat. Non poſſumus contra-

---

Quando vel averſa venere, vel duriſſimarum fæcum eductione admodum diſtrahitur anus, tunc *cutis diducta, & laxata in ſe ſe concidit, & in pendulas plicas corrugatur* prout loquitur Aſtrucius T. I. p. 270. Copioſa lympha per virus venereum facta viſcidior veniens ſupra memoratas excreſcentias nimis moratur, indeque eas ulterius ulteriuſque excreſcere facit. Hinc merito dicere ſolent practici, memoratas excreſcentias licet ſemper arguere muliebrem patientiam, poſſe aliquando ſine ulla flagitioſa venere apparere. Nuper vidi juvenem moris, & fragis ani coronam obſidentibus laborantem, cui abſque dubio nulla præpoſtera venus adhibita eſt. Ortus eſt morbus a confirmata lue. Dictum enim pluries a nobis eſt lympham ſive per pudendas partes, ſive per anum fluentem gemina cauſa inſpiſſari & vitiari ſolere. Altera per virus recens admiſſum, altera per luem confirmatam. Rhagades fieri ſolent a violenta diſtractione ani, ſed fieri quoque poſſunt a corroſione quam molles & ſpongioſæ ani partes a veneno venereo aut quocumque alio veneno recipere

tracto ſtylo omnia recenſere confirmatæ luis symptomata. Deficeret nos ſane dies ſi opus adamuſſim adimplere adla-

---

pere poſſunt. Quo duriores, quo inflammatione correptæ, quo numeroſiores, quo dolentiores &c., eo periculoſiores ſunt excreſcentiæ. Hæ curari non poſſunt, niſi extirpantur; extirpari, niſi urendo & ſecando nequeunt. Ergo operoſiori, & laborioſa cura tractandæ ſunt. Tutiſſima excreſcentiarum cura eſt ſequens. Siniſtra manu apprehendendæ & dextera forſice reſecandæ ſunt ad uſque baſim. Si duræ & calloſæ ſunt aut novacula, aut ſcalpello abſcindi debent, & ſi metus eſt ad baſim hærere aliquid carcinomatis, id eſt penitus tollendum, reciſa aliqua vivæ carnis portione. In re gravi ſemper tutiori methodo chirurgus operatur aliquid bonæ carnis perdere, quam bonum corruptæ relinquere. Bona brevi reſtituitur caro, dum corrupta brevi reliquum bonum corrumpit. Poſt factam abſciſſionem, & abſterſum ſanguinem ſedulo baſis inſpicienda eſt, quæ ſi mollis eſt parcendum inciſionibus, ſi vero callis terminatur apice ſcalpelli ſcarificanda eſt, & ſi profundo denſoque callo operitur vivo igne tangenda eſt ad uſque calli deſtructionem. Poſt

boraverimus. Rem tantum inſtitutionum brevitati inſervituri adumbrabimus. Quando lympha & ſanguis miasmate vene-

reo

---

abſolutam hujuſmodi operationem digeſtivo vulgari aut balſamo arcæi tractanda eſt pars uſque ad perfectam cicatricem. Laudat Cl: Plench aquam cauſticam pro *condylomatibus*, quæ componitur ex æquali portione aceti & vini, nempe uncia una & ſemis, ſublimati corroſivi drachma una, gummi camphoræ, & ceruſſæ æquali parte, nempe drachma ſemis. Hiſce omnibus mixtis, & prudenti manu excreſcentiis venereis bis de die tactis, ait, ſe ad inſtar incantamenti momoratos morbos curaſſe. Id ipſum expertus eſt laudatus Svediaur. Sublimati corroſivi internum uſum ad granum unum quatruplo aquæ ſoluti laudat Swietenus, & plurimis exemplis teſtatur aqua ſolutione ſublimati infecta pluries de die admota excreſcentias venereas integre fuiſſe curatas. T. 10. p. 184. Si adeſt confirmatæ luis ſuſpicio hydrargyroſi curari debet. Rhagades ſuperficiales lacte fovendæ ſunt, inde butyro inſulſo cum addito pulvere ſabinæ curari poſſunt. Si vero profundæ apparent & callo obſitæ ſunt, debent lapide infernali leviter tangi, inde poſt eſcharam elapſam digeſtivo vul-

gari,

reo fædatur, ita ut omnes circulantes humores ab naturali recedant indole, tunc functiones omnes perverti, & labefactari incipiunt. Sic pertinaces cephalææ vertigines, convulſiones, memoriæ hebetudines, apoplexiæ, paralyſes, & hujuſmodi aliæ graves cerebri læſiones ſecuntur vitium lymphæ et ſanguinis per venereum virus lenti, & acris facti trans vaſa cerebri ducti. Nuper obſervavimus athleticum hortolanum diu conflictatum a lue confirmata poſt levem apoplexiam in inemendabilem utriuſque inferioris articulationis & linguæ reſolutionem lapſum, cujus pertinacia eludit efficaciſſimorum remediorum vim. Currit nunc annus & nullum ab arte levamen ſentit, imo in peius ita ruit morbus, ut ab novo apoplectico inſultu advenien-

---

gari, aut balſamo arcæi ad cicatricem perducendæ ſunt. Dum hæc fiunt remediorum ſanguinem depurantium, indeque virus venereum, ſi qua ſit, corrigentium, utpote quæ ex mercurialibus, & lignis indianis parantur, uſus faciendus eſt.

Confirmata venerea lues proteiformis morbus eſt.

niente brevi moriturum nudius tertius prædiceremus. Aures non ſunt a morbo immunes. Tinnitus abſque cauſa manifeſta, otalgia, murmur, auditus gravitas, ipſaque ſurditas non raro ægros vexat. Oculi frequenter virus tirannidem experiuntur. Palpebræ rubræ, aſperæ, calloſæ, pruriginoſæ, lippoſæque evadunt. Ophthalmia pertinax, ſtaphyloma, cataracta, ſusfuſio, fiſtula lacrymalis, atque his ſimilia mala oculos adoriuntur. Quando in fauces impetit venenum humores lymphaticos, & oleoſos vitiando, irritandoque faucium cavum dolet, inflammatur, peſſimeque ulceribus fædatur ita, ut non viderim partes in humano corpore tam frequenti ulcerum ſordidorum, phagædenicorum, gangrænoſorumque fæditate, quam facium ſedes ab confirmata luè vexatas. Os & palati fornix carie ad uſque nares extenſa perforatur. Vomer, oſſa naſi, & palatina carie conſumpta decidunt, & ipſa membrana pituitaria polypis, phlyctænis in ozænas deſinentibus obſidetur. Et ab his malis manga vocis, & loquelæ mutatio, ſcilicet rau-

ce-

cedo, & aphonia derivat. Giugivæ tumidæ apparent, ulceribus fædantur, & rubicundæ ſunt, odoremque fætidum emittunt. Adoritur morbus haud raro bronchia, & pulmones rheumata pertinacia, & tuſſes, tubercula pulmonum, hæmoptyſim, ipſamque phthiſim pariturus. Quando ſedem figit in viſceribus imi ventris, tunc infinita malorum ſeries exurgit. Famis, ciborum digeſtionis, chylificationiſque læſiones apparent; obſtructionibus prehenduntur pene omnia abdominis viſcera; hinc hydropis aſcitis, cachexiæ, icteri, hypochondriæ &c. ortus. Alui & urinæ excretiones vitiantur; & in mulieribus menſtruationis vitia, ſterilitas, hyſteria, & his paria multa mala obſervantur. Ad cutim accedens lues facit pruritum moleſtum, ſcabiem, puſtulas, ulcera & quidem cacoætica, impetiginem, lichenem, herpetem, maculas purpureas, flavas, liveſcentes, lepram, elephantiaſim. Superiori anno vidi virum quinquagenario maiorem per luem confirmatam morbo elephantiaſim æmulante tam pertinaci correptum, ut nullis obediens remediis,

ſubortaque inde lenta febri cum copioſiſſima ichoris effuſione ab pene infinitis cutis rimis & fiſſuris calloſis educta copulatam, tandem miſerrimæ morti ægrum dederit. Si intra carnes lues ingreditur rheumatiſmos calidos, frigidos, acerrimos muſculorum dolores, contractiones, lumbagines, iſchiadeſque pertinaces parere ſolet. Si capſulas articulares invadit pertinaces dolores articulares noctu crudeliores factos, anchyloſes, tumores varios intra ipſas articulationes non raro in ſuppurationem abeuntes efficit. Tandem intra oſſa quoque ſi figitur venenum cariem, ſpinam ventoſum, exoſtoſim, gummata, & tollens oſſium firmitudinem ea reddit friabilia. Mira ſunt quæ in praxi obſervantur de facili oſſium ruptura dum per venenum gallicum ipſa friabilia fiunt. Non raro oſſa femoris, & brachii rupta per levem articulationum dictarum motum praxis non ſemel oſtendit.

Venerea confirmata lues variat ex multis cauſis.

§. 22. Jam videtis adoleſcentes ab lue confirmata non unum alterumque morbum, ſed morborum infinitam pene multitudinem prodire ſolere. Et tamen non

non omnia mala ab ipſamet venientia hactenus a nobis exacte notata ſunt. Verum ſciatis oportet non omnia deſcripta mala ſimul unum hominem vexare ſolere, neque omnes homines unum idemque incommodum pati. Varia eſt morborum facies varios homines affligere apta, eaque varietas pendet a varia temperamentorum diverſitate, ſanguiniſque craſi, varia curandi, cui æger ſubiicitur, methodo; varia ætate, qua venenum corpus habitat &c.. Ab his diverſitatibus quoque eruitur ratio, cur quidam ab jam pridem recepta lue accipiat gonorrhoeam, alter bubonem, tertius ulcera, quartuſque excreſcentias venereas. Hæc mala ſi præſentia ſunt ſemper ab lue confirmata & recrudeſcunt, & pertinacius durant. Recordor juvenis annorum 30, qui bis gonorrhoeam ab impuro coitu obtinuit, dum confirmata lue laborabat. Per annum ultima gonorrhoea ſeptem vices evaſit crudelior, virulentiorque, licet efficaciſſimis utebatur remediis. Currit nunc tertius annus & a morbo nondum liberatus eſt. Quan-

do confirmata aphrodiſiaca (*y*) lues vexat non multis inquiſitionibus opus eſt ut cognoſcatur, ſi localis morbi contagione ſuſcepti cognitio certa præcedit. At poteſt multis ex cauſis huiuſmodi cognitio deficere. Adoleſcentes parentum & magiſtri metu pudent fateri culpam, per quam olim gallicum venenum contraxerunt. Viri & ſenes nonnulli ſunt ſui compotes, qui vitam anteactam, & juveniles errores oſtendere verentes cauſam occultant, per quam virus gallicum in ſanguinem immiſerunt. Mulieres ſive virgines, ſive coniugatæ, ſive viduæ potioribus rationibus ductæ ſunt, ut abſcondant facinus, a quo & pudicitiam perdidere, & luem aphrodiſiacam contraxere. Sed ut alibi §. 3 memoravimus præter uſum veneris dantur & multi alii modi, quibus vene-

(y) Lues *aphrodiſiaca*, vel *celtica* nil aliud eſt, quam venerea lues. His enim vocibus indicatur venenum, quod per veneris uſum ab infecto in ſanum corpus tranſit varios producens morbos.

nenum concipi poteſt abſque data mentis attentione, qua creditur malum communicatum de indolole venerea eſſe. Ab ſcabie accepta, quæ numquam credebatur gallica, luem confirmatam fieri non ſemel in praxi notavimus. Sæpe ſæpius conſilium noſtrum petere ſolet coniugata juvenis non infimæ ſortis boniſque moribus ornata annorum 32, quæ ſemel ſcabie contraxit, dum erat virgo annorum 18, a qua ſolita unctione ſulphuris integre liberabatur. Tanta paſſa eſt confirmatæ luis venereæ incommoda, ut cunctis eam inſpicientibus admirationi ſit. Tertia nunc vice, nobis conſulentibus, generali hydrargyroſi rite inſtitutæ ſubiecta eſt, & nondum liberatam inſpicimus. Sancte teſtari poſſumus ab illa ſcabie tam diram confirmatam luem prodire.

§. 23. Si igitur ex quacumqua ratione non patet cauſa conceptæ luis venereæ ad ſequentia animum advertatis adoleſcentes oro, ne in re gravi praxim exercentes transverſi feramini. Sedulo in primis attendite ad præcipuum illud incommodum, quod morbus parit.

Quibus ex cauſis occultatur venenum gallicum.

rit.

rit. Sit v. g. ulcus in faucibus fixum. Scitote huiuſmodi ulcus fieri poſſe ab ſcorbotica labe; & ab lue venerea confirmata. Non fieri a ſcorbutica labe indicant calloſi & albi margines, quibus ulcus terminatur, fixa ſedes, quam diu ſervat morbus, profunda eroſio, quam in ulcere facit venereum virus, ſuperficies alba parvo rubore perfuſa, ſubita caries, quam ulcus vicino oſſi infert &c. At ſcorbuticum ulcus terminatur labiis mollibus, & liveſcentibus, facile vicinas ſedes irregulari & lato curſu adoritur, ſuperficiem raro fundum radit, ſed in fungum & hyperſarcoſim excreſcit, raro vicino oſſi cariem communicat &c. Deinde medentibus vobis ſi occurrat homo doloribus arthriticis, aut rheumaticis, aut rheumatico--arthriticis, aut iſchiadicis, aut oſteocopis, aut lumbagine affectus, & deficit notio pregreſſæ luis per contagium ſuſceptæ, qua de confirmata lue judicare non poſſitis. Ipſumque hominem doloribus gallicis vexari quomodo ſtatuere poteſtis? Sequentia ſedulo perpendite.

Do-

Dolores gallici fixi & pertinaces ſunt in data corporis ſede; rheumatici & arthritici ex ſimplici cauſa facti hinc inde vagari ſolent. Gallici dolores noctu ſæviores, mane remiſſiores fiunt, ſecus alii. Haud aliis cedunt remediis quam ſoli mercurio, & diu pertinentiores ſunt gallici dolores. Arthritici hi dolores licet aliquando tumorem circa articulationem faciunt, attamen pene ſemper ſine ullo tumore affligunt. Præterea apparent non raro in cute puſtulæ & maculæ, quas gallici virus confirmati symptomata eſſe in hunc modum ſtatuere poteſtis. Maculæ venereæ recentes ſunt, & pectus ac ſcapulas adoriuntur, quæque diſcrepant ab ephelidibus, & lentiginibus, quia hæ faciem collum, & manus reliquaſque a ſole tangendas partes occupant, quæque facile diflantur, dum venereæ ægre nimis, & niſi adhibito mercurio evaneſcunt. Diſcrepant a maculis, & puſtulis ſcorbuticorum, quia abſque gingivarum rubore, tumore exulceratione que, nec non reliquis ſcorbuti symptomatibus in cute graſſantur. Demum re-

reliquorum malorum ab lue venerea confirmata provenientium diagnoſtica ſigna habere facillime poteſtis comparationem facientes tum ſignorum ad alios morbos pertinentium, quæ ex reliquis praxis medicæ tractatibus addiſciſtis, cum ex peculiari obſervatione eorum ad venereæ luis indolem pertinentium colligere valeatis tantum, quantum ſufficit præſentis morbi certitudinem definire. Stricta ſcribendi ratio inſtitutionum brevitati inſerviens non patitur omnes recenſere caſus, a quibus ſigna diagnoſtica confirmatæ luis in corpore præſentiam ſtatuentia accipere poteſtis. Veſtra ſedula attentio, & lectio ſapientiſſimi ſcriptoris (z) ſupplere valet id, quod

(z) Aſtrucii lib. IV. cap. IV. Hoc in loco vir ſummus quoſdam canones, a quibus confirmatæ luis diagnoſtica ſigna haberi poſſe credit. Hiſce nos ſequentia adnectimus. Multi dantur in praxi complicati morborum caſus, ut in hiſce rite definiendis vel ſagaciſſimi hæreat medici animus. In lue venerea confirmata id paſſim obſervatur. Confunduntur

quod heic inevitabili neceſſitate relinquere debemus.

§. 24. Confirmatæ luis cauſa proxima *Quæ eſt confirmatæ luis venereæ natura.*

---

tur invicem varia morborum accidentia, quæ variorum morborum indolem emulantur, & decipere ſolent, qui ab una cauſa, nempe lue venerea ortum ducunt. Deficit idcirco in hiſce curandis indicatio. An error ex ſequentibus rite ponderatis evitari poteſt? Si æger poſt toleratam gonorrhoeam, aut poſt alium recentis luis ſymptoma habitum, & forſan male curatum obſervatur laborare puſtulis, doloribus articularibus, gonorrhoeæ, ulcerumque pertinaci recidiva, ſine cauſa manifeſta &c., hunc confirmata lue gallica affectum eſſe tuto ſtatuere poſſumus. Si quis laborat pertinaci ophthalmia, aurium tinnitu, diuturna cephalæa, lymphatica febri adveſperaſcente ſemper facta exacerbatiori &c., quæ mala aut ægre nimis, aut nil cedunt efficaciſſimis remediis, interim conſtat olim ægrum bubonem male curatum ab impuro concubitu accepiſſe, ipſum lue confirmata laborare dicendum eſt. Si aliquis vexatur exoſtoſi, gummate, oſſis carie, ozæna, faucium ulcere, & his ſimilibus morbis, qui afficaciſſimis non obediunt remediis, interim notum eſt jampridem ægrum ſola ſcabie

ma collocari debet in ea veneni venerei quantitate, quæ valet aut omnes, aut multos humani corporis humores coinquinare, peſſundare, & ita vitiare, ut

---

bie infectum fuiſſe, quam rite poſtea curavit, & præter hanc nulla alia indicatorum malorum cauſa aſſignari poteſt, tunc haud fallaci conjectura confirmato morbo aphrodiſiaco ægrum l bore aſſeritur. Scabies enim illa gallica fuit. Si tandem femina frequentem abortum, ſterilitatem, album fluorem patitur, filios parit graciles, putridos, imperfectoſque, atque hujuſmodi incommoda multa patitur, & certo conſtat ipſam quondam infectam gonorrhoea fuiſſe, quam male curavit, tunc confirmata lue mulier illa laborat. Hi, aut his ſimiles caſus frequenter in praxi occurrunt; & tunc ex nota morbi cauſa derivat certa indicatio, qua recta & opportuna cura inſtitui poteſt. Si vero deficiunt ſigna pregreſſi venerei morbi, & apparent incommoda gravia, quæ nulli evidenti cauſæ acceptam originem referunt, tunc per analogiam hæc medicanda ſunt. Nam non raro graviſſimorum morborum curationem, per ſolam anologiam inſtituta hydrargyroſi, feliciter factam vidimus.

ut morbis tam multiplicibus, tam variis, tamque peſſimis originem dare valeat. Huius effati veritas elucet ex ſupra memoratis veneni venerei conditionibus. Memorati veneni natura in eo potiſſimum collocari videtur, ut majori vel minori mora, majori vel minori copia, majori vel minori cum hoc potius, quam cum illo humore affinitate, attractione majori vel minori ad ipſum concipiendum corporis diſpoſitione &c. ſe ſe multiplicare, atque fermenti inſtar panificii reliquos humores bonos in ſui naturam convertere, & commutare valeat. Et veneni venerei tyrannica ærumnarum ſeries eo magis ab homine obtinetur, quo aut cum ſcorbutico, aut cum arthritico, aut cum podagrico, aut cum alio his ſimili veneno diu in corpore hoſpitante copulatur. Sive quod duorum venenorum combinatio tertium producit reliquis crudelius, & vel cuicumque emendationi ſubeundæ impar, ſive quod unius veneni vires ab alio adveniente acuantur, & efficaciores fiunt, ſive quod alterutrius effectus in machina ſemper pertinaciſſimi

mi, ſemper crudeliſſimi, ſemperque obſtinatiſſimi ſint, ſive ob aliam quamcumque rationem, certum eſt veneni venerei cum alio veneno conjuncti indolem admodum degenerem, & inemendabilem eſſe. Cum autem intima ſive animalium, ſive mechanicorum venenorum natura nobis ſit ignota, non poſſumus niſi coniectando, atque ab effectibus tantum veneni venerei naturam divinare. Diximus §. 4 veneni venerei vim præcipuam eſſe in fingendis, coagulandiſque humoribus, cum quibus miſcetur. Quapropter acidam naturam ei tribuunt medici. Re quidem vera ſi perpendimus morboſa accidentia, quæ pendent ab confirmata lue non niſi id certum eſſe aſſerendum.

Quomodo operatur venerea lues confirmata varios producens morbos.

§. 25. Nimirum oſſium, & articulorum dolores pertinaces, ac ſemper noctu se se exacerbantes præcipuum confirmatæ luis ſymptoma conſtituentes ab denſata, indeque acri facta lympha dependent. Cutaneæ puſtulæ, & ulcera ſi qua in cute aut in faucibus ſunt, iterum iterumque ſe ſe reproducentia, oleaginoſos & lymphaticos humores per cu-

cutim & fauces excurrentes ab veneno gallico denſatos acreſque factos arguunt. Gummata, & exoſtoſes cranii, tuſſes, & hæmophtyſes, bronchialium glandularum infarctus, nec non tubercula, & vomicas pulmones excipientes, indeque phthiſim producentes fiunt ab ſumma lymphæ denſitate bronchia, & pulmones infarciente, qua ſenſim ſenſimque corroduntur vaſa pulmonum, unde poſt hæmophtiſim ab conſumata phthiſi pereunt lue confirmata affecti. Ab eadem denſata lympha obſtruente vaſa trans oſſium laminas & per perioſtium excurrente derivant gummata, & exoſtoſes. Sic intelligitur ortus profundarum obſtructionum viſcerum imi ventris, a quibus digeſtricium & chylopejeticarum functionum læſio derivat, ſic uteri obſtructionum ortus percipitur, a qua & menſtruationis ſupreſſio, indeque facta chloroſis, ſterilitas, aliaque his ſimilia mala in mulieribus conſtituuntur. Quando humores circulationi obeundæ dicati juſto fiunt tenaciores, acrioreſque pariter evadunt. Propter lentam, viſcidamque humorum indolem non de-

bita ſit aſſimilatio elementorum fluidæ componentium, unde denſitatem humorum excipit acredo, quapropter cum lenta circulatione copulatur irritatio cunctis ſolidis communicanda, unde multiplex malorum cohors. Et ſemper verum eſt diuturnam fluidorum tenacitatem ab veneno quocumque productam ſequi eorundem diſſolutionem, quæ in morbis gallicis peſſimam ſcorbuti ſpeciem conſtituit. Quando humores poſt longævam luem gallicam conceptam hanc ſcorbuticam indolem nacti ſunt, cum a mercurialibus nullam, aut paruam emendationem accipere in hoc ſtatu poſſint, ut plurimum poſt mille & mille malorum peſſima accidentia, tandem mortem inferunt. Et ita intelligimus, cur aliquando peſſime ſe habent illi, quibus diuturno ſcorbuto laborantibus venenum gallicum inflictum eſt. Hi enim homines geminatam veneni indolem ferentes, id in fluidis, & ſolidis habent mali, ut cum in glutinoſis, & tenacibus virus gallici particulis dum comi eantur acres, & corroſivæ ſcorbuti particulæ, peſſimam inde, & veluti inemendabilem

lem

lem factam veneni naturam habeant, a qua haud infrequenter interficiuntur. Sic facile percipimus cur frequenter ſanguineo, bilioſo, & calido temperamento præditi diuturniora & obſtinata venereæ luis ſymptomata patiuntur, quemadmodum pluries in praxi obſervavi. Sive quod ab his temperamentis aliquid ſcorbutici veneni cum gallica lue commiſcendi elicitur, ſive quod major horum temperamentorum phlogiſti quantitas ſæviorem reddit veneni venerei indolem, ſive errata, quæ in uſu ſex rerum non naturalium ab his hominibus committuntur luis difficilem reddunt curationem, ſive ob aliam rationem, certum eſt indicata hominum temperamenta luem gallicam & recentem, & confirmatam accipientia ægre nimis curare ſolere. Neque denegamus alios homines alio præditos temperamento non poſſe a lue gallica male affici. Millia enim ſunt in corpore, millia in vivendi ratione accidentia, quæ vel innocentiorem luem reddere maligniorem, ſævioremque ſepe valent.

Lues venerea omnes partes inficere ſolet.

§. 26. Cum autem pluries dictum ſit

ſit particulas veneni venerei in connubium, & conſortium ſui trahere reliquorum humorum particulas, & in primis eas, cum quibus majorem habet affinitatem, certum eſt non reperiri poſſe in ægri corpore ſive ſolidam, ſive fluidam partem, quæ ab huiuſmodi connubio immunis eſſe poſſit. Et ſi memorata ab Aſtrucio ſcala affinitatum, quas in humano corpore lues gallica exequitur, a nobis non eſt admittenda, tamen inficiari non poſſumus unam poſt alteram, indeque omnes partes ſive ſolidas ſive fluidas ab lue confirmata infici, & peſſundari ſolere. Sic obſervamus ulcera faucium ſenſim ſenſimque tracheam, & pulmones inficere, dolores articulorum excipere maximum puſtularum apparatum, & totius cutis poſtulas gummata, exoſtoſes, viſcerumque peſſimas læſiones, indomabileſque febres ſequi &c. Tenacitas & lentor ſummus lymphæ in conſortium trahit ſanguinem, cuius ſalina, & oleoſa pars ab ſtatu deſciſcens naturali peſſimam humorum craſim facit, a qua & lentæ ha-

habitualeſque febres, & ſudores colliquativi, & alvi ſolutiones pertinaces, & phthiſes, & tandem mors ipſa derivant. Huius degenerationis tantæ conſectarium ſemper deſumi debet ab venerea lue acida indole prædita faciente lymphæ lentorem, qui ſenſim ſenſimque auctus, cunctiſque diffuſus humoribus decomponit fluidorum elementa, redditque ſanguis degener, & æquabili circulationi obeundæ impar, quemadmodum §. 4. quoque indicavimus. Hinc nil mirum naturales, vitales, & animales functiones lædi ab depoſitione degeneris humoris viſcera memoratis functionibus obeundis dicata perturbantis, atque intimam eorundem veluti fabricam peſſundantis. Nil mirum ſi ab vitiato humore cutis oleaginoſo fiant puſtulæ, & a perturbato oſſeo ſucco accidant caries, gummata, exoſtoſes, oſteocopi dolores &c. Nil mirum ſi pertinax ophthalmia, rheumata obſtinata, profundæ abdominalium viſcerum obſtructiones, conſtans ulcerum recurſus, & his ſimilia plurima mala accidant in corpore, cuius humores len-

ti, & acres facti ſunt aptiſſimi obſtructionibus, vaſorum, ſolidorum corroſionibus, deſtructionibuſque pariendis opportuni. Muſculorum, & nervorum ſummæ debilitates ab eadem fiunt cauſa. Quando enim nimis tenax ſanguis & lympha eſt, parum boni ſanguinis adplicatur cerebri & cerebelli vaſis debitam fluidi nervei quantitatem haud generaturum. Ita ex parva fluidi nervei quantitate derivat magna corporis debilitas. Multa & pene infinita morborum accidentia confirmatam luem comitantia ab eadem theoria intelligi poſſunt (*a*).

in

(a) Hactenus de luis venereæ confirmatæ natura expoſita Auctorum clariſ. obſervationibus reſpondent, & captui veſtro accommodata ſunt. Quæ ſequuntur reſpiciunt recentiorum hypotheſim, qua phlogiſti theoria ſubſtinetur. Si verum eſt veneni venerei naturam acidam eſſe, verum quoque eſt ipſum cum phlogiſto magnam habere affinitatem. Cum itaque prima hujus veneni vis cum lympha humani corporis experiatur, cum qua conjunctum

ve-

ARTICULUS VII.

Generalis confirmatæ luis venereæ curatio.

§. 27. GEneralis confirmatæ luis venereæ curatio potiſſimum a mercurialibus abſolvitur. Horum mercurialium varia eſt formula, varia ex- *Confirmatae luis curatio.*

G 4 hi-

---

venenum majori phlogiſti quantitate replere, quamque neceſſario coagulare dicendum. Et ſi certum eſt coagulatam lympham per ſupraabundans phlogiſtum evadere irritantem acremque corroſioni, irritationique ſolidorum faciendæ aptam, ita intelliguntur irrumpentis in corpore veneni prima accidentia. Sed omne fluidum per ſuperabundans admodum phlogiſton incipit ſenſim ſenſimque decomponi ex ratione, qua conſtat particulas fluidi dati aptas tantum eſſe datam phlogiſti quantitatem recipere. Decompoſitionem lymphæ ſequitur menſura datæ phlogiſti quantitatis ab lympha veluti erodentis cum cruore conjungenda, unde poſt ſolutam, acrem, corroſivamque factam lympham incipit cruor (qui antea ob amiſ-

ſio-

hibendi methodus, varia doſis, variaque cum aliis medicamentis coniunctio, eorumdemque præparatio. Et ſagax medicus pro diverſa ægrotantis ætate, temperie, conſuetudine, vitæ ratione, proque diverſa veneni indole, ætate, qua in corpore habitat, modo unam, modo alteram mercurialium medicamentorum formulam, præparationem, doſimque præſcribere debet. Neque ſpernenda eſt pro memorati morbi cura abſolvenda Americanarum plantarum, præſertim ſar-

---

ſionem naturalis phlogiſti quantitatis quodammodo ſolutus erat) denſari, & coagulari. Sicque morbus, facto cruoris, & lymphæ gemino vitio, augeri ſolet. Uſque dum per ſuperabundans phlogiſtum cruor ipſe diſſolvi incipiat, fluidaque omnia in peſſum ire obſerventur. En morbus quo ſerior, eo factus degener, inemendabiliorque, niſi accedat remedium, quod valet debitam phlogiſti inter lympham & cruorem quantitatem temperare. Hujuſmodi remedium eſſe mercurium ex mox dicendis patebit. Verum hæc non niſi ſimplici probabilitate reguntur.

ſarſæ parillæ, & ligni guajaci virtus, qua ſola vel ipſas obſtinatas confirmatas venereas lues curari non ſemel in praxi obſervavimus. Paramus ex his ptiſanas, aquaſque vulgo dictas *antivenereas*. Et notiſſima eſt inter practicos aqua Domini Maouritii, quæ componitur ex æquali doſi ſarſæ parillæ, & ligni viſci quercini, vel ut nobis placet ligni ſancti (*b*), cujus diuturno uſu obſtinatiſſimas lues venereas confirmatas op-

---

(b) Hujuſmodi aquam paramus in hunc modum. Accipimus duas uncias electiſſimæ ſarſæ parillæ, & aut ligni viſci quercini, aut ligni ſancti libram unam. Dividimus, mixtis omnibus, doſim in octo, aut decem chartulas. Unam harum chartularum quolibet mane immittimus in ollam decem, duodecimue aquæ fontis libras continentem. Poſt tertiæ partis conſumptionem per bullituram reliquum frigefactum toto die bibendum ægrotis concedimus. Sic procedendum eſt uſque ad omnium chartularum conſumptionem. Repetenda iterum tertioque eſt remedii doſis uſque ad omnimodam morbi extinctionem.

oppidò debellatas fuiſſe diu compertum eſt. At in hujus remedii adminiſtratione cauti adoleſcentes extote, ne cum vulgaribus medicis non levem errorem committatis. Quando hujuſmodi aqua exhibetur vulgares medici tantum panem biſcoctum, & carnem aſſatam ægrotis concedunt hac ratione, ut ſtomachus non relaxetur, ne diuturno aquæ uſui ſubſtinendo impar ſit. Verum ſi tenuanda, & diſſolvenda eſt lymphæ, tenacitas diuturna remedii exhibitione non eſt conveniens alimentum, quod craſſis & oleoſis, ideoque lymphæ tenacitati adaugendæ aptis abundat particulis. Et ſtrictæ hujus victus rationi addicti ægrotantes brevi nauſeant aquam memoratam. Olera, juſcula vitulinæ carnis, piſces ſaſſatiles, fructus horæos, alioſque hujuſmodi facilis digeſtionis cibos tenujuſque chylum producentes, dum in uſu eſt aqua Domini Maouritii, commode exhibere ægrotis ſolemus. Hiſce & diuturnum copioſæ aquæ uſum ſubſtinent iidem ægroti. Pulvis ſarſæ parillæ ad drachmas duas quotidie propi-

pinatus cum mercurio dulci, aut cum æthyope alcalino ad grana viginti copulatus ſummopere aliquando proficere poteſt. Debet autem remedium per ſeſquimenſem & ultra propinari. Quod ſi huic remedio addatur gummi ligni guajaci ad grana decem, & cum extracto ejuſdem ligni in pilulari forma redigatur, eique addatur quoque aqua antivenerea toto die bibenda, obſervabitur morbum felicius divinci. Non raro dolores articulares, duras abdominalium viſcerum obſtructiones, gummata, exoſtoſes, aliaque confirmati venerei virus accidentia hiſce remediis curari obſervavimus. Credit Boerhaavius in lignis exoticis nuper memoratis ſal alcalinum volatile reperiri peculiaris virtutis, quo diſſolui, & tenuari humorum circulantium ſummam tenacitatem ab lue venerea enatam poteſt. At ſive hoc modo, ſive alio operatur virtus americanarum plantarum, illud certum eſt non pænitenda exhibitione ad debellandam veneream luem confirmatam iiſdem practicos ſolertiſſimos uti poſſe prout quotidie docet experientia. Quod

de

de ſirupo ſarſæ parillæ, quem ad ungias tres quolibet mane propinant medici, pro curando venereo viru affertur a quibuſdam, potius contra ſcorbutum, aut alium morbum huic affinem valere putamus.

Veneream luem confirmatum ſolus mercurius ſanat.

§. 28. At minime inficias ire poſſumus unicum remedium vincendo, ac debellando morbo, de quo nunc ſermo eſt, opportunum mercurium eſſe. Hujus mineralis virtus mirum quantum apud recentiores Auctores celebrata eſt. Nimirum cum hydrargyrum omnibus metallis poſt aurum ponderoſius ſit, cumque ſemper in fluidas ſphæricas, læviſſimas partes diviſibile ſit, mirabilis remedii virtutem & poteſtatem contra luem veneream intelligere, & percipere in hunc modum cæperunt. Quando hydrargyri moleculæ ſub parvo volumine majorem materiæ quantitem continent, ita ut ſit earum ſpecifica gravitas ad illam ſanguinis globulorum ut 14 ad 1, debent in motu majorem impetum concipere. Si v. g. eadem potentia movetur ſanguinis, & mercurii globulus; cum verum ſit impetum eſſe produ-

ductum velocitatis in maſſam, erit impetus globuli mercurii 14 vicies major illo globuli ſanguinis. Tanto igitur impetu actus mercurius faci i modo penetrat in quamcumque denſatam, & coagulatam humorum maſſam, ejuſque diſſolutionem, ſeparationemque facile procurat. Vinci ab aucta potentia datam reſiſtentiam in compertis eſt. His ſi addatur mira molecularum mercurii diviſibilitas, earumque ſemper conſtans rotunditas, & ſuperficiei lævitas augetur ſane ejuſdem remedii virtus in diſſolvenda humorum tenacitate opportuna. Nam nec capillarium vaſorum quorumcumque diameter non patet venientibus tenuiſſimis mercurii ſphærulis, nec impedimentum multum trans minima vaſa ducti mercurii globuli levigatiſſimi patiuntur. Etenim levigatiſſima mercurii molecularum ſuperficies multam frictionem nec cum ſanguinis globulis, nec cum vaſorum parietibus non ſubſtinet, & per ſphæricam figuram tangentes in unico puncto ſemper vaſorum latera expeditiſſime currunt memoratæ hydrargyri mole-

Mercuri contra luem veneream virtus.

leculæ, accidit, ut facili modo compacti, & condenſati per venenum venereum humoris diſſolutionem & ſeparationem faciant. En ratio cur ſoli mercurio datum ſit in abditiſſima, & remotiſſima corporis penetralia tranſire, ſicque & glandularum, & viſcerum, & ipſorum oſſium obſtructiones, tumores, aliaque hujuſmodi mala curari, adhibito hydrargyro, obſerventur. Et ex hac theoria deſumunt quoque rationem adparentis ptyaliſmi poſt remedii uſum. Diſſolutis enim & ſeparatis concretorum humorum moleculis, in tabum veluti aqueum (ſit verbo venia) tota humorum maſſa commutatur. Cum autem viæ, per quas aqueus latex e corpore educi ſoleat, præcipuæ ſint tres, nempe cutis ſpiracula, urinæ ſecerniculi, & glandulæ ſalivales, factum eſt, ut cum perſpirationis emunctoria, & urinæ ductus non æquali ratione pateant impellentibus mercurii particulis ſanguinem in aquam veluti tranſmutantibus, & ad ſuperiora corporis loca afferentibus, in glandulas ſalivales impetunt ſoluti humores copioſiſſimam ſalivationem

Cur mercurii uſum ſequitur ſalivatio.

nem factùri. Nec novum eſt videre auctam urinæ, aut tranſpirationis excretionem mercurii uſum excipere absque ulla adparente ſalivatione cum totali morbi curatione. Immo, ut inferius melius patebit, mercurii uſum ſine ſalivatione ſemper commodiorem & opportuniorem pro debellanda lue eſſe.

Aptior ratio, qua intelligitur orta ſalivatio a mercurii uſu.

§. 29. Verum putat Cl. Jacopus Plenck, idque multiplicibus habitis experimentis probavit, cum muco faucium mercurium multam habere affinitatem. Miſcuit enim cum muco faucium mercurium, & optime utraſque ſubſtantias coniunctas, invicemque cohærentes ita vidit, ut poſt multos dies, vel adhibita maceratione, nullo modo ſeiungere & ſeparare eas potuerit. Id ipſum pariter obſervavit in coniunctione mercurii cum gummi arabico. Itaque in hunc modum ratiocinatur auctor. Immiſſo ſive interno ſive externo uſu intra ſanguinem mercurio, & per vaſorum oſcillationem hinc inde ducto, ſi hic nullum cum reliquis humoribus corporis affinitatem habet, præter mucum faucium & ſalivam, accidit, ut

ut quando appulit ad mucoſas, & ſalivales faucium, oriſque partes, circulationis ope, mercurius cum memoratis ſubſtantiis mucoſis in connubium, atque intimam unionem ipſum abire opus ſit. Neque denegari poteſt multam in ſuis particulis acutiem remedium per ſalium hinc inde occurrentium habitam aptum evadere magnæ conſtituendæ vaſorum ſalivalium irritationi, lacerationique. His cauſis magna confluit in faucibus, & ore muci, ac ſalivæ copia, quæ durante memoratorum vaſorum irritatione lacerationeque ubertim effunditur non ſine magno ægrotantium incommodo. Hæc eſt ſalivatio mercurii uſum ut plurimum excipiens. Sed accidere poteſt, ut vel magna hydrargyri quantitas in corpore immiſſa nullam conſtituat ſalivationem. Id fit aut quando mercurius per internam corporis diſpoſitionem, relicto faucium, & oris tramite, urinæ, & tranſpirationis uias excurrit, extra corporis confinia venturus, aut quando nullo ſalium occurſu irritandi & lacerandi facultate deſtitutus nullam

fau-

ſaucibus orique moleſtiam creat (*c*). At quærentibus vobis, adoleſcentes, a me rationem, cur ſolum mercurium lui venereæ debellandæ aptum eſſe, ita reſpondeo. Si non eſt verum mercurium vim multam habere in diſſolvendo humorum lentore ab lue venerea producto, idque §. præced. repetebamus & a magna mercurii gravitate, ac ſpærica particularum eius figura, & a ſumma earundem diviſibilitate, nec non magna lævitate, dicendum mihi penitus ignotam eſſe quæſitam a vobis rationem. Id ipſum pariter fatetur modo memoratus Plenck (*d*). Verum recentiores,

H qui-

(c) Conſulet. method. novum & facilem exhibendi mercurii lue venerea infectis cl. Plenck.

(d) Ait enim in laudat. oper. p. 25. *Ma come il mercurio operi ſul miaſma venereo, e lo diſtrugga non ſi dirà credo, ſe non quando ſarà perfettamente nota la natura dello ſteſſo miaſma. Volentieri confeſſo in ciò la mia ignoranza etc.*

quibus chymicarum affinitatum leges nunc nimis perſpectæ ſunt, in hunc modum rem expediunt. Mercurius cum viru venereo magnam habet affinitatem. Dum uterque ſubſtantia invicem cohæret tertium quid efficitur, quod non eſt neque mercurius, neque virus gallicum, & lædere amplius non poteſt. Qua quidem in re dicunt mercurium pro lue debellanda eſſe merum & ſolum ſpecificum, cuius virtus nulla alia ratione perficitur, niſi per affinitatem, qua permutatis & deſtructis datis particularum virus venereum componentium combinationibus, figuris, cohæſionibus, diſpoſitionibus &c. novum aliud efficitur, quod non eſt amplius venenum fluida & ſolida humani corporis pervertere, & laceſſere aptum (*e*).

§. 30.

(e) Me non latent quæ adverſus a nobis expoſitam licet ſuſpenſo admodum judicio de veneni gallici indole ſententiam a nonnullis & potiſſimum a ſemper laudando Plenck proferuntur. Dicunt enim ſi memoratum virus fuiſ-

§.30. Hiſce ſic expoſitis facili modo procedit enarratio remedii generalis debellandæ venereæ lui opportuni. Mer- *Verus mercurii uſus enarratur.*

---

fuiſſet acidum cum alcalicis copulatum permutaretur in aliam tertiam ſubſtantiam, & adhibito ſublimato corroſivo, (quod penitus acidum eſt) venenum curari quotidie obſervamus. Verum advertant hi quæſo non ſemper quodcumque acidum ab admixtis alcalicis ſubſtantiis permutari, & converti in neutram indolem poſſe. Id pendere debet aut a debili alcalici principii actione non apta extricare, & in ſui connubium vocare acidum, aut a ſumma particularum acidum involuentium cohæſione, viſciditateque, qua efficitur, ut vel potentiſſimis alcalicis adhibitis aut parum aut nihil acidum extricatur. Id in veneno venereo verum eſſe poteſt, cujus indoles viſcida, & tenax acidum quodcumque firmiter involvere apta alcalicorum vim eludit. Et ſi ſublimatum, cujus indoles eſt acida, venenum venereum curat, id pendet a ſumma diſſolvendi, & ſeparandi, qua pollent, virtute ſublimati particulæ, qua, poſtquam ab ſuis viſcidis, & tenacibus vingulis extricatur venenum, cum mercurio cohæret, inque novam indolem permutatur. En ratio cur quodcumque

curius itaque & interno, & externo uſu adhiberi poteſt. Et omnibus notæ ſunt multæ formulæ mercuriales, quibus uti ſolemus in hoc morbo. Æthyops alchalicus, aut mercurius dulcis ad grana quindecim cum pulveris ſarſæ parillæ drachma una copulare ſolemus, & quotidie per ſeſquimenſem & ultra exhibemus, ipſum ſublimatum corroſivum ad grana duo in ſpiritus vini unciis duabus diſſolutum cum maximo ægrotantium emolumento & per unum alterumve menſem quotidie propinamus. At ſedulo advertendum ne diuturno tanti remedii uſu major noxa ægrotis fiat. In incipienti humorum diſſolutione, in ſumma fibrarum ſenſibilitate, in incipienti pectoris læſione, atque in his ſimilibus ægrorum accidenden-

---

que acidum, licet ſit admodum diſſolvens, non poteſt venenum gallicum curare. In ſolo mercurio eſt ſpecifica virtus, cujus per ſalium miſcelam, dum potens acida actio excitatur, mira quoque effulget debellandi, & deſtruendi venerei veneni poteſtas.

dentibus ab memorato remedio abſtinendum eſt. Pro vincendis obſtructionibus, veteribuſque oſſium tumoribus, nec non diuturnis doloribus articularibus, ceteriſque affectionibus ab ſummo humorum lentore enatis debellandis ſublimatum nimis valere experientia docemur. Hujus uſum cum lacte ſemper cupulatum optime procedere comperimus. Et lactis deficientiam ſupplere poteſt aqua hordei, aut huic ſimile remedium temperans & demulcens. Semper autem arceri debet ſalivatio, cujus apparitio poſt mercurii ſive externum, ſive internum uſum ut plurimum inutilis immo et noxia eſt. At de methodo temperandæ, & arcendæ ſalivationis redibit mox ſermo. Panaceam mercurii, vel illam Domini Thompſoni optimum remedium eſſe jugis indicat obſervatio. Hæc ad ſcrupulum unum cum aliquot granis gummi ligni ſancti conjuncta pluries voti fuit compos. Et non minorem utilitatem affert Plumerii ſpecificum, cujus compoſitio mercurii & ſulphuris aurati antimonii debita combinatione

procedit. Hujus doſis ad grana vigintiquinque cum eodem pulvere ſarſæ parillæ accedit, & potiſſimum contra cutis venereas affectiones valens tutiſſimum & ſaluberimum remedium in praxi evadit. Laudat ſuum ſpecificum Plenck, quod componitur ex mercurio cum gummi arabico multum diuque conquaſſato, ipſumque reliquis mercurii præparationibus melius, utiliuſque eſſe vidit experientia. Neque denegamus eſſe tutiſſimum remedium, & ejus uſum raro ptyaliſmus excipit. Quocirca in omnibus accidentibus, in quibus neceſſarius cenſetur mercurius, ſed timetur admodum remedii impetus, arceſſiri poteſt memorati ſpecifici virtus. Hujus doſis eſt ad drachmas duas. Cinnabbaris nativæ, & æthyopis mineralis uſus nullus in hoc morbo eſſe ſolet, præter caſum, in quo aut internum cujuſcumque partis, & præſertim renum, veſicæ urinariæ, necnon pulmonum ulcus extat, aut multa cerebri, & nervorum læſio per convulſiones potiſſimum definienda, apparet. Ceterum modo unam, modo alteram mercurii præ-

præparationem juxta morbi naturam diverſam, nempe diverſi adparentis symptomatis confirmatæ luis rationem, diverſam ægri temperiem, diverſamque morbi ætatem ſeligere poteſtis. Et non deficiunt caſus, in quibus nulla mercurii actio advocari poteſt. Nam quando poſt factum humorum coagulum incipit eorum diſſolutio, ac ſcorbutica veluti cacochimia corpus undique vexat, tunc ab mercurii uſu potiſſimum a ſalium commixtione actuoſioris facti valde timendum eſt. Diſſolutis enim & colliquatis ulterius humoribus, irreparabili tabe conſumitur æger. Hoc infortunium ut plurimum obtinent illi ægri, quibus per medicorum inſcitiam male conſulitur, dum omnia confirmatæ luis accidentia mercurio ſolum curare ſatagentes, negligunt illum caſum, in quo per ſummam humorum diſſolutionem antiſcorbutica remedia potiſſimum ab lactea diæta, & herbis refrigerantibus, veluti naſturtio, cochlearia, cichoræa, acetoſella, & his ſimilibus deſumpta convenire debent.

Magna eſt hydrargyroſis in debellanda venerea lue confirmata poteſtas.

§. 31. Sed ſumma eſt hydrargyroſis pro debellanda confirmata lue venerea poteſtas. Nimirum unguento mercuriali (*f*) modo parca, modoque plena hydrargyroſi tanta mercurii quantitas ab externa corporis ſuperficie in internas partes immittenda eſt, quanta ſufficit, ut morbus penitus extinguatur. Tanti remedii virtus mirum quantum apud practicos celebrata eſt, quotidianaque experientia confirmatur. Praxis vero, qua inſtituitur eſt huiuſmodi. Poſt

(f) Quod apud nos componitur longo mercurii & terebinthinæ venetæ tritu. Sumitur itaque data mercurii currentis, & terebinthinæ venetæ quantitas, inde ſpatula lignea in fictile, aut vitreum vas diu diuque tritus, & agitatio facienda eſt, ita ut penitus mercurii maleculæ diſpareant. Hoc facto addenda eſt tanta aſſungiæ porcinæ inſulſæ doſis, quanta ſufficit ut molle unguentum conſtituatur. Nonnulli ſine pinquedine parant unguentum. Hujus conſumatio modo ſingulis, modo alternis diebus, modoque aliter, inſtituta per corpus ægrotantis unctione paulatim facienda eſt. Mercurius optimus eſſe debet, & ſemper celebratur ille, qui aut a cinnabbari, aut ab antimonio extrahitur.

Poſt ſanguinis miſſionem, & levem alvi ſubductionem per propinatum eccoproticum factam ſemel iterum & tertio in balneo frigidiuſculo æger immitti debet. Inde litus incipiendus eſt a miniſtro, qui habens manum aut veſica, aut forti pelle munitam primo ſub plantis pedum, inde ſenſim ſenſimque aſcendendo ad uſque tibias extendit unctionem. Litus hic abſque veſica, aut pelle fieri poteſt ab ipſo infirmo. Prima vice una tantum drachma memorati unguenti mercurii conſumi debet; poſtea ſenſim augebitur eius quantitas uſque donec duæ treſue drachmæ qualibet vice conſumentur. Semper miniſter diuturna & forti frictione qualibet vice terere debet omnem unguenti portionem ita ut ne quidem eius particula remaneat. Quando litus a planta pedum per tibias per genu, per femur ad uſque inguina extenditur, & a manibus per cubitum, per brachium ad uſque ſcapulas pervenit, tunc plena, & univerſalis eſt hydrargyroſis. Sed a parca hydrargyroſi ad plenam, & univerſalem per gradus debet perveni,

dum

dum ſingulis diebus paulatim augetur unguenti doſis. Dum hæc peraguntur aut vere, aut autumno (hæc enim anni tempeſtas hydrargyroſi favet) non debet æger in anguſto, & clauſo cubile contineri, ita ut putrefactus penitus, & flogiſticatus aer reſpirare ſit coactus (*g*). Hoc tantis vicibus eſt inſtituendum

(g) Damnandus & a bona proxi penitus abiiciendus eſt mos ille, quo æger tanti remedii uſui addictus detinetur in cubile clauſis januis, & accenſo igne nimis excalefacto. Credunt nonnulli pſeudomedici id eſſe neceſſarium transpirationi, quæ tempore unctionis mercurialis nimis augetur, cuſtodiendæ. At ignorant malum, quem recipit æger huic damnandæ cuſtodiæ addictus. Aer flogiſticatus reſpirationi impar evadit, & ut plurimum putridam febrim accendit, a qua in gravi vitæ diſcrimine æger conſtituitur. Niſi dicere velimus, ægrum ex inopinato mori potuiſſe ſui adſiſtentis medici ignorantiæ pænam ſoluturum, quemadmodum quibuſdam hoc infortunium accidiſſe nobis non ſemel conſtat. Optime itaque nos imperamus frequentem aeris domus renovationem, immo temperatam ab uno in aliud cubile deambulationem ſuademus

dum uſque donec tota unguenti mercurialis quantitas abſumatur. Hæc quantitas proportionalis ſemper eſſe debet morbi conditioni, & ægrotantis ætati, temperamento, nec non vitæ viribus. Nam ſemper certum eſt pro debellanda data ſiphylide requiri datam mercurii

quan-

---

mus. Et in parca hydrargyroſi, ſereno & placido die ægrum proprio motu ſeſe agitare potentem levi aut pedeſtri itinere aut currhu inſtituto motu exerceri circa meridiem volumus. Optime operantur ii medici, qui per hujuſmodi aeris, & induſiorum renovationem corporis ægri ſuperficiem ſemper mundam ſervant. Multum improbamus & deteſtamus fædum illud ſpectaculum, in quo obſervantur ægri a primo litu ad ultimum & lecti linteorum & induſiorum nullam mutationem facientes. Manent in ſumma toto curationis tempore corporis fæditate maximum transpirationis impedimentum obtinentes. Mirum quantis incommodis hujuſmodi ægri ſubjecti ſunt. Iterum dicere oportet optime eos facere, qui per cubilis aeris, & induſiorum frequentem renovationem mundum, & politum ſervant corpus. Hi commodiorem exequuntur curationem.

quantitatem, datumque tempus, in quo medicamentum operatur. Optimum ſemper eſt aquæ fontis balneum inſtituere, in quo modo ſingulis, modo alternis diebus æger immergi debet. Sic temperatur mercurii impetus, & quo fieri poteſt ſalivatio arcetur. Numquam bonum præſertim effuſiſſimum ptyalismum hydrargyroſim excipientem eſſe dicunt practici cordatiores, idque fideli confirmatur experientia. Nam præter quam quod inutilis evadit mercurius per ſalivationem cito foras egrediens nullam contra luem veneream exercens vim, & actionem, ſed & incommoda plurima ſunt vix tollerabilia, quæ memoratum ptyalismum ſequuntur. Ulcera oris & linguæ dolentiſſima ſunt, linguæ & oris labiorum tumefactio, difficilis & fere nulla alimentorum maſticatio & deglutitio, ægra admodum ciborum coctio propter ſucci ſalivalis, œſophagalis, & gaſtrici degenerationem vexat, in putridum tabum humorum reſolutio, & eorum ingurgitationem ſequitur per alimentorum vias in-

Ptyaliſmus numquam eſt bonus.

intra ſanguinem ingreſſus, & facta per totam ventriculi, oeſophagi, oriſque ſuperficiem putridarum particularum ab inhalantibus vaſis abſorptione febri hecticæ, (qua irreparabiliter ægri conſumuntur) ſternitur via. Quapropter hódie prudentes medici ſemper ptyaliſmum arçent ab uſu mercurii (*h*).

Qua ex cauſa hydrargyroſis progredi nequit & quomodo ſanari poſſunt incommoda hydrorgyroſi accedentia.

§. 32. Sed & per ſupervenientem incommodam ſalivationem, & per alia morboſa advenientia mala vel prudentiſſi-

(h) At minime denegare poſſum aliquando temperatam, & admodum levem ſalivationem ægrotantibus profuiſſe. Nam ſemel in praxi vidi ægros confirmata lue diu vexatos poſt mercurii uſum ſumma prudentia exhibitum non convaluiſſe dum ſalivationem nullam habuerunt. Verum perfecte curati ſunt, quando temperata ſalivatio excepit mercurii uſum. Hinc ſedulo adoleſcentes monitos volo, ut quemadmodum practicis obſervationibus addictos vos eſſe ſemper conveniat, ita ſalivationis poſt hydrargyroſim advenientis conditionem diligenti attentione inſpicientes veſtræ curationi commiſſos ſiphyliticos bene tractare valeatis.

tiſſima methodo inſtituta hydrargyroſis progredi nequit. Fas eſt enim prius adparens malum tollere, inde ſuſpenſum litum mercurialem revocare. Nimirum ſi adparet poſt unam, alteramve unctionem mercurialem magna glandularum ſalivalium, & linguæ, capitiſque tumefactio, tunc ſtatim vena incidi debet, lactis aut decoctionis hordei uſus inſtituendus eſt, & poſt levem eccoproticum etiam repetitum propinatum ſemel iterum tertio de die in balneo aquæ fontis eſt æger immergendus. Hæc ſane remedia apparentem profuſam ſalivationem compeſcere quoque ſolent. Mihi in uſu eſt lecti lintea ſtatim mutare, (quorum linteorum renovationem in toto hydrargyroſeos tempore quolibet biduo inſtituo) lac, immo lacteam diætam imperare homini ptyaliſmum ab uſu mercurii habenti, & ſemel, iterumque de die in balneo aquæ dulcis eum immergendum jubeo. Clyſteres emollentes iniicio, & eccoprotica propino. Et ad compeſcendas ulteriores turbas opium ipſum exhibeo. Os frequenti collutione lactis, aut aquæ hordei ab-

abluendum ſuadeo. Quod ſi apparet poſt unum alterumve litum febris hæc eſt abiicienda. Si continua remittens eſt diluentibus, & temperantibus remediis nec non ſalibus inciſivis uti debemus. Sic ſerum lactis depuratum, decoctiones chamæmeli, flores ſalis ammoniaci, ſal polychreſtum, & his ſimilia præſcribi poſſunt. Si vero febris periodica ſit, chinchinæ, & balineorum frigidiuſculorum uſu debellanda eſt. Nec raro profuſa diarrhoea litum mercurialem ſequitur, quæ & ab latentibus in inteſtinis ſordibus per mercurii actionem efferueſcentibus, & ab impetente hydrargyro intra primas vias derivat. Hanc diarrhoeam lactis uſus, ipecacuanha, ab unctionibus abſtinentia, balnea aquæ dulcis, & his ſimilia compeſcunt. Tandem tuſſis effrænis, hæmoptyſis, uteri hæmorrhagia in mulieribus, & id genus reliqua accidentia durante hydrargyroſi obſervantur. Vincere ſolemus hæc mala lactis uſu, opio, clyſteribus emollientibus, ſimarrhoubæ decoctione, ſumma corporis, animique quiete, & præſertim mercuria-

rialium unctionum ceſſatione. Quando itaque aut memorata, aut alia morboſa accidentia incipientem, aut paulo protractam hydargyroſim excipiunt vos terrere non debent, & ex his apparentibus eidem hydrargyroſi penitus valedicere non debetis. Adhibitis enim opportunis remediis eadem mala debellare valentibus, litum mercurialem revocabitis, & qua decet prudentia ad ſuum finem perducere debebitis. Semper optime proſequitur hydrargyroſis, ſi uno die litus inſtituitur, altero, ſuſpenſo litu, in balneo aquæ dulcis frigidiuſculo immergitur æger. Sic vicibus alternis & litus, & balneum inſtitutum, æger per tantum remedium optime adminiſtratum ab diu vexante ſiphylide facile liberari poteſt. Poſt finitam hydrargyroſim ſolo lacte nutriendus eſt æger. Quod ſi hoc tandem faſtidit, panatellas, jura carnium vitulorum, ova ſorbilia, piſciculos ſaxatiles, olera, fructus maturos, & his ſimilia facilis digeſtionis alimenta ſumere poteſt. Aſſuetis ad ſervandas ſtomachi vires optimi vini paucum concedere ſolemus. Si curatio-

nem

nem totam confirmatæ luis non abſolvit una hydrargyroſis, poteſt & ſecunda, & tertia inſtitui, dummodo id corporis vires patiuntur, & inter unam alteramque hydrargyroſim debitum temporis intervallum (quod ad ſex menſes ſaltem extendi credimus) intercedit.

DE SCORBUTO

PRÆLECTIONES

ARTICULUS I.

Scorbuti Natura.

§. I. E Peculiari genere morbus eſt ſcorbutus, cuius etyhmon debemus ſeptentrionales plagas accolis, quibus affectio familiaris eſſe ſolet (*i*). Non fuit penitus veteribus igno- *Scorbuti etyhmon, & natura.*

I

(i) Dicitur iis præſertim Groelandis, & Samojedis *Scheurbek* propter oris ulcera, modo *Scheurbot* propter dolores oſteocopos, modo

gnotus. Hippocrates in variis ſuorum operum (*k*) locis morbi meminit, in quo vitiantur gingivæ, graveolentia fiunt ora, & ex cruribus ulcera erumpunt, ſanguiſque e naribus ſæpe effluit. Hoc morbo affecti habent lienem magnum, atque ab huius viſceris læſione morbum derivare ſcribit. Verum quemadmodum certum eſt ſcorbuticis frequentem accidere narium hæmorrhagiam, crurum ulcera, vitium lienis &c. prout practicis obſervationibus conſtat, attamen ſemper fatendum eſt veteribus ignotum fuiſſe morbum, de quo ſermo eſt, vel ſaltem de eo non habuerunt perfectam cognitionem. Credi-

---

do *bloeurveſcheut* propter cutis puſtulas, modo *Scorbok* propter lancinantes ventriculi dolores, modo (quod meliori ratione nobis ſcorbuti ethymon oſtendere videtur) *Scorb* ideſt morbus. Endemicus enim in Ruſſia morbus eſt ſcorbutus. Conſulite cl. *Lind* medicum Edimburgenſem, cui abſolutiſſimum de ſcorbuto tractatum debemus P. 3. c. 1. p. 215.

(k) Et in lib. de intern. affect. Cap. 3. & Cap. 48., & in Prædict. Coac. lib. 2. Cap. 27.

dibile eſt Hippocratis tempore non penitus fuiſſe cognitas regiones ſeptentrionales, & ob defectum cognitionis acus nauticæ non factos fuiſſe longinguos per mare excurſus. Populis finitimas Septentrionis regiones habitantibus, & nautis diuturnæ navigationis incommodis vexatis familiarem ſcorbutum eſſe experientia nobis conſtat (*l*). Primi qui de ſcorbuto inter medii aevi ſcriptores optime dixerunt fuere Wierus, Ronſeus, & Ætius, quos poſtea ſecuti ſunt Sennertus, Willis, aliique magni nominis auctores (*m*).

I 2 §. 2.

(l) Conſ. Swieten. in comment. aphor. Boerhaav. T. VI. p. 273.

(m) Circa finem ſæculi XVI. Severinus Eugalenus de ſcorbuto elegantiſſimum tractatum ſcripſit. Hujus auctoris dictis, & obſervationibus prehenſi ſunt Hoffmannus, Meadius, Boerhaavius, Swietenus, aliique de ſcorbuto cl: recentiores ſcriptores. Sed Eugaleni errores, & abſurdas propoſitiones oſtendit Lindenus in p. 1. p. 10. & ſequent. ſui ſapientiſſimi de ſcorbuto tractatu. Lindenum, Ad-

in-

Scorbuti ſymptomata.

§. 2. Scorbutus ſua ſigna habet, quibus cognoſci facile poteſt. Evadit æger præ ſolito mæſtus, & ad motum ſummam concipit inertiam, facieique colorem pollido flavum repræſentat. Apparet levis ſpirandi difficultas, quæ nimis augetur in motu corporis præſertim per acclivem locum facto. Paulo poſt incipit fætido efflatu oris, & levi dolentique gingivarum tumefactione morbus ſe propius manifeſtare. In dies augetur animæ fætor, & gingivarum tumefactio evadit mollis, & fungoſa, atque ad leviſſimum motum facile ſanguinem effundunt. Cutis in primis exiccatur, inde mollis apparet, poſteaque hinc inde maculis rubicundo-nigris fædatur. Hæ maculæ modo ſunt parvis lentibus ſimiles, modo ſunt amplæ magnitudinem volæ manus æmulantes. Ecchimoſes ab effuſo ſub cute ſanguine pro-

ingthonium, Bachſtromium, Kramerum, S. Yuium, & Murrayum optimos de ſcorbuto meritos ſectamur neceſſe eſt has breves de eodem morbo prælectiones ſcribentes.

productæ ſunt indicantes magnam ſanguinis diſſolutionem. Pruritu nimis moleſto vexantur ægri, febris non raro accenditur, quæ de remittentium eſt genere, licet ut plurimum febres ſcorbutum comitantes ſint erraticæ nullam ſervantes periodum. Aliquibus tumor oedematoſus ad malleolos accidit, qui ſenſim ad uſque genu extenditur. Et ſi levis punctura, aut contuſio facit vulnus, hoc ſtatim in fætidiſſimum, inſanabileque ulcus degenerat. Scorbutica ulcera id ſemper habent peculiare, quod ſcilicet multum doleant, & loco concocti puris effundunt ichoroſam, & putridam materiam, & impleri ſolent carne fungoſa ac molli, eaque ab eſcharoticis male afficiuntur, raroque ad cicatrizationem perveniunt. Labia habent parum tumida, & livida, ac ab levi compreſſione facile in gangrænam tendunt. A mercurialibus in peius ruunt, ab antiſcorbuticis curationem accipere poſſunt huiuſmodi ulcera. Quando ſcorbutus adultus eſt oſtecopis doloribus ægros vexat, qui dolores ad levem motum corporis exacerbantur. Et

in imo ventre aliquando ſedem figere videntur. Ex quo factum eſt, ut Hippocrates diſtinctivum characterem ſcorbuti quærens repoſuerit in liene tumido, & dolente (*n*). Non raro hos abdominis dolores ſequitur dyſenteria cum multa ſanguinis per alvum effuſione copulata, quæ ut plurimum morti ægrum addicit. Et a frequentibus hæmorrhagiis ſcorbuticos vexari paſſim practici obſervant. Nec raro morbus epidemico charactere graſſatur, & juxta Lindeni obſervationes aliquando in naturam conſtitutionalium morborum, putridorum, quemadmodum variolæ, ſynocha putris, dyſenteria &c. venit & ægros occidit. Nautæ diuturnæ navigationis incommodis conflictati, cives longa obſidione detenti, in anguſto carcere nulla aeris renovatione depurato coacti multi homines &c. huiuſmodi ſcorbutico epidemico morbo frequenter vexantur. Pulſus in ſcorbuto ſunt naturali

(n) De intern. affection. c. 34

rali debiliores, & paucum frequentiores, urinæ excernuntur ſolito coloratiores, & facile in corruptionem abeunt. Diarrhoea ſæpe ſcorbuticos vexat, & non ſine culpa ſputum aliquando excernitur ab ore tuſſi ſemper moleſta, quod indicat pulmones ſalſa, & craſſa materia affectos eſſe. Huiuſmodi ægros phthiſicos mori non novum exemplum eſt in medicina. Tandem in confirmato ſcorbuto ſyncopes, vaſorum lacerationes, internæ hæmorrhagiæ obſervantur, a quibus improviſa mors expectari poteſt. Maculis & puſtulis fædiſſimis cooperitur cutis, & ab his puſtulis manat putridus ichor, gingivæ profundis ulceribus obſidentur, & intolerandum emittunt fætorem, denteſque omnes decidunt. Febris accenditur lenta, quæ tandem morbi, & vitæ finem arceſſit.

§. 3. His aut ſimilibus ſymptomatibus ludere ſolet ſcorbutus apud Groelandos & Samojedes, reliquoſque finitimarum ſeptentrionalium plagarum accolas (Britanni, Batavi, Sueci, Danenſes, Noruegi, aliique Germaniæ populi hoc morbo pariter corripi ſolent). *An veræ ſunt ſcorbuti differentiæ.*

His quoque ſymptomatibus vexat nautas longa per oceanum navigatione feſſos. Verum advertendum non ſemper uno ordine, unoque modo in ſcorbuto hæc ſymptomata adparere ſolere. Alia videntur in principio, alia in progreſſu, aliaque in morbi acmine, & fine obſervantur. Et ex variis his adparentibus morboſis accidentibus factum eſt, ut apud practicos varium reperiatur ſcorbuti diſcrimen. Diſtinguunt enim illum in *acidum*, *alchalinum*, & *muriaticum*. Primum dicunt, quando in eo obſervatur humorum denſitas cum acrimonia copulata. Alterum tertiumq. adeſſe adfirmant, quando veræ putredinis ſigna adparent. Ulterius dividunt ſcorbutum *maris* ab illo *terræ*. In ſcorbuto maris phænomena obſervari credunt, quæ abſunt ab illo terræ. Has diviſiones apud Hoffmannum, Bachſtromium, Boerhaavium, Swietenum, alioſque graviſſimos recentiores ſcriptores legere poteſtis. Verum omnes has diſtinctiones reiicit ſemper laudandus Lind, qui aptis argumentis ſubſtinet adverſus me-

Veras non eſſe Lindenus oſtendit.

memoratos auctores (o) unum eſſe ſcorbutum, nullamque admittere poſſe diſtinctionem. Et omnia varia accidentia, quæ obſervantur, pendent tantum ab vario diverſoque ſcorbuti gradu. Fatetur ſe millia & millia ſcorbuti exempla obſervaſſe, in quibus tam in mare, quam in terra eadem ſemper fuere morboſa accidentia. Et nos pariter teſtari poſſumus unum idemque ſymptomatum apparatum in omnibus ſcorbuti caſibus obſervaſſe. Multas proponit rationes nuper memoratus Lind, quibus ſemper ſubſtinet ridiculam, abſurdam, obſervationi, ac veritati contrariam eſſe opinionem eorum, qui variam ſcorbuti ſpeciem adſignant, quos perlegere poteſtis in loco jam indicato. Verum an tuto ſtatui poteſt ſcorbuti naturam & indolem eſſe putridam? Id non penitus videtur adfirmare ipſemet Lindenus. At omnia cum ſcorbuto coniuncta accidentia non niſi morbum de

(o) In P. 1. p. 29. & ſeq.

de putrido genere eſſe declarant. Heic autem non intelligitur illa putredo, quæ in cadaveribus, inque mortuis corruptiſque carnibus obſervatur; hujuſmodi enim putredo abeſt ſemper a vivente homine. Sed accipitur per illam ſpontaneam humorum degenerationem lædendis, & irritandis ſolidis aptam, qua functionum integritas tollitur. Cum autem verum ſit peculiare venenum, nempe ſcorbuticum eandem degenerationem efficere, atque morboſi inde provenientes effectus putridum humorum ſtatum repreſentant, factum eſt, ut de putrido genere ſcorbutum eſſe a nobis dicatur. Re quidem vera, ille oris fætor, illa magna gingivarum corruptio, ille macularum cutis apparatus, illa urinæ paulo poſt emiſſæ putrefactio, ille ulcerum ſcorbuticarum inſanabilis ſtatus, atque ab ipſis manans putridus ichor, illæ putridæ, & malignæ febres ſcorbutum comitantes, illæ diarrhoeæ, & dyſenteriæ inemendabiles, illæ frequentes hæmorrhagiæ, illæ vaſorum internorum corroſiones, a quibus ſubita veluti mors expectatur, illa tandem poſt mor-

Putridum morbum ſcorbutum eſſe firmiter demonſtratur.

mortem ſcorbutici cadaveris cita putrefactio, & undique ſpargens intolerandum fætorem quid quæſo, niſi putridum humorem ſtatum indicare valent?

§. 4. Nos quemadmodum adſerimus alcalinum non ſemper facere putridum, aut in putrido alcalinum non ſemper reperiri, ita reponimus haud a veritate alienum eſſe illud, quod de indole & natura ſcorbuti dixit Boerhaavius, ejuſque claris: Commentator Swietenus (p). Ajunt enim adeſſe in ſcorbuto humorum acrimoniam cum lentore copulatam. Hic liquidorum ſtatus apparet in morbi initio. Tunc cum univerſali corporis languore copulatur dyspnæa, ad quietem ſumma ægri proclivitas, hinc inde vagantium dolorum aſpectus. Id omne pendet ab inertia & lentore circulantium humorum, qui lentor ſi ſolus fuiſſet diſſolventibus remediis tractatus facile curari potuiſſet. At cum in lentore reſidet acrimonia, quæ

Argument. dignitas clare elucet.

(p) In §. 1153. T. VI. p. 247.

quæ ſenſim ſenſimque augetur, ille lentor paulatim diſſolvitur, & in ſtatum corruptionis, nempe in diſſolutionem acrem commutatur ſanguis. Tunc apparere incipiunt cutaneæ maculæ, gingivarum corroſiones cum magno fætore copulatæ, febres putridæ, hæmorrhagiæ frequentes, diarrhoeæ, dyſenteriæ &c., Hæc omnia putredinoſum humorum ſtatum indicare, a quo inevitabiliter mortem venire uniusquiſque noſcere poteſt. In rubra ſanguinis parte lentorem, in alba acrimoniam peculiare ſcorbuti venenum generare haud fallaci ratiocinio a nobis ſtatuitur. Si autem poſt primum ſcorbuti ſtadium ſanguinis elementa amplius invicem cohærere nequeunt, deficitque inter illa juſta, & naturalis combinatio, ſane non modo ab multo acre magna ſolidis creatur irritatio, atque ipſorum corroſio efficitur, ſed continuæ febres de putrido genere invadunt, quibus vel nulla, vel parva adhibetur medicina. Levi ex motu accidunt hæmorrhagiæ propter internam vaſorum corroſionem, & ſi alvus ſolvitur per col-

qua-

quativam diarrhoeam ægrum ſenſim conſumendo occidit. Urinæ fætidæ ſunt & poſt aliquod tempus cooperiuntur oleaginoſa ac ſalina cruſta. Vidi non raro hujuſmodi ægros intolerandum fætorem feces ſpargentes aducere. Hæc aut his ſimilia accidentia ſcorbutum comitantia indicant adeſſe in corpore illam *cachexiam ſcorbuticam* a proprio, & peculiari veneno enatam, cujus varios eſſe gradus quotidiana oſtendit obſervatio. In primo enim ſtatu humores denſati, & coagulati apparent. In ſecundo ſenſim tenuari videntur, in tertio in ſummam abeunt diſſolutionem. In primo caſu ſymptomata apparent debilitatæ circulationis, indeque elucet imbecillis vitæ multa ſymptomatum quantitas. In ſecundo, & tertio ſtadio incipit ſolidorum corroſio, & putredinis in diem ſe ſe augentis indicia contemplanti medico offeruntur. Si hæc putredo non corrigitur in primis morbi temporibus ruit in eum & ſolidorum & fluidorum diſſolutionis ſtatum corpus, ut nulla arte amplius reparari poſſit. Hic eſt ultimus ſcorbuti

buti ſtatus, quem ut plurimum mors ægrotantis ſequitur. Neque dicatur ſcorbutum indolis non eſſe putridæ ex ratione, qua conſtat in noſocomiis, in carceribus, in militum diuturnis ſtationibus, inque omnibus iis locis, in quibus putridus aer inſpiratur, ſcorbutum non obſervari; nam id probaret diverſam eſſe putridam & malignam febrim, quæ hiſce in locis graſſari ſolet a ſcorbuto, cujus ortus non debetur putrido aeri inſpirato, ſed peculiari veneno ab datis mox deſcribendis cauſis enato. Nonne verum eſt corruptionis humorum cauſas diverſas eſſe poſſe? Alia enim eſt, quæ fit a malignis, & peſtilentialibus, alia, quæ fit a ſcorbuto. Nonne symptomata utramque humorum diſſolutionem comitantia varia ſunt? Alia enim putridis malignis febribus, alia ſcorbuto debentur. Nonne ſcimus non raro humores noſtros per venenum quodcumque condenſari poſſe, inde in putridam reſolutionem abire, quemadmodum in ſcorbuto, inque aliis id genus affectionibus accidit, & in febribus putridis malignis ante conden-

ſationem in putridam reſolutionem tantum tendere? Nonne tandem certum eſt aliis cauſis peſtilentiales & malignas putridas febres, aliis ſuum ortum ſcorbutum debere? Hæc omnia evidenter oſtendunt ſcorbutum licet ſit morbus putridus, in locis putridis exhalationibus obſitis obſervari aliquando non poſſe, licet verum ſit haud infrequenter in noſocomiis, & carceribus ſcorbutum graſſari ſolere. Id vero pendet a peculiari aeris conſtitutione, atque peculiari vivendi genere,

ARTICULUS II.

Scorbuti cauſſæ, ſymptomatum enarratio, curatio.

§. 5. Diximus in præcedenti articulo ſcorbutum vexare ſolere ſeptentrionalium regionum accolas, hominesque diuturnis navigationibus ſubſtinendis addictos. Hiſce quidem in locis peculiares extant cauſſæ morbo producendo opportunæ. Nimirum aeris humiditatem, & frigus potiſſimas ſcorbu- *Quænam ſunt ſcorbuti cauſſæ.*

bu-

buti cauſſas eſſe obſervatio oſtendit; idque Lind conſtanter affirmat (q). Hujuſmodi aeris vitium conſtans per aliquod tempus eſſe debet, a quo ſummum tranſpirationis impedimentum ſubſtinetur. Hunc tranſpirationis defectum ſequi cachexiam ſcorbuticam vel parum vobis meditantibus innoteſcit. Hæc enim, cohibita perſpiratione, innoteſcit. Etenim poſt cohibitam perſpirationem oneratur ſanguis & potiſſimum lympha ea phlogiſti quantitate, quæ valet ipſam & figere, & acri veneno onerare, a cujus vitioſo ſtatu ſua incunabula ſcorbutum accipere jam ex dictis §. præc. innoteſcit. Nautas huic aeris vitio addictos jugiter eſſe nemo ignorat. Diuturnis enim exhalationibus maris naves ſemper obſideri, a quibus nautas affici ſemper debere, ſcimus omnes. Quæ cæli inclementia, quæ tempeſtatum viciſſitudines, qui ventorum impetus per æquora currunt, & ideo nautis,

Cur nautæ ſcorbuto ut plurimum laborant.

(q) P. II. p. 64.

tis, infimæque ſortis militibus hæc nocent, quia duros navigationis labores ſubſtinendo illis aeris commotionibus, & viciſſitudinibus jugiter expoſiti ſunt. Populi finitimas Septentrionis terras habitantes ſummi frigoris, & humiditatis aeris effectus ſemper ſubſtinent, ideoque morbo, de quo ſermo eſt, obnoxii ſunt. Quod ſi his additur defectus vegetabilium fructuumque recentium, atque omnium eorum alimentorum, quæ grata aciditate humores reficere ſolent, augebitur morbi fomes. Hujuſmodi vegetabilium defectus ſive per terræ conditionem, ſive (quod verius) per vehementiſſimum frigus horæos fructus, & virentes herbas deſtruens in Noruegia obſervatur. Et nautæ longa per magnum oceanum navigatione detenti memoratos fructus, & herbas virentes ſervare non poſſunt. Hinc factum eſt, ut biſcocti panis, & carnium ſale fumoque duratarum diuturno uſu eam concipiant in ſanguine viſcoſitatem, tenacitatemq. ut ſcorbuto tandem obnoxii fiant. Neque dulcem puramque aquam bibere poſſunt. Poſt aliquod

enim tempus corrumpitur in navibus dulcis aqua, cujus uſus ſanguinem putrido miaſmate inficit. Marina aqua ſi bibitur non modo morbum producere nequit, ſed morbo ipſam feliciter mederi quotidiana docet obſervatio (*r*). Alimenta ex pane non fermentato

---

(r) Viderat pluries Lindenus maris aquam quotidie epotam ſcorbutum feliciter curare. Hinc ab experientia doctus dixit non verum eſſe ſalinas maris exhalationes nautas ita afficere, ut morbo, de quo loquimur, valeant cauſam præbere. Neque certum ſemper vidit ſcorbutum in iis nautis, qui caruerunt fructibus horæis, & oleribus. Sic enim in civitatibus longa obſidione vexatis, in aliquibus navigationibus longinguis, in quibus nullus vegetabilium virentium uſus eſt, tamen ſcorbutus non graſſari obſervatur. Vid. p. 64. Verum id ſi indicat vegetabilium defectum ſolam non eſſe ſcorbuti cauſam, ita haud inficiari poteſt cum aliis conjunctis cauſis non poſſe morbum producere. Morborum enim cauſſæ non modo conjunctim agere, ſed agere per datum tempus debent. Quapropter ſi vegetabilium defectui additur aeris humi-

to & biſcocto, ex carnibus fumo ſale-que duratis, ex leguminibus, ex piſci-bus putridis & id genus aliis parata

K 2 eam

---

miditas, & frigus, quibus cauſis frequenter nautæ afficiuntur, habebitur potiſſima morbi cauſa. Nautæ per oceanum ducti horæos fructus, & olera non manducare poſſunt. Jugiter dormiunt in imis navium receſſibus, in quibus & per nullam aeris renovationem, & per multam humiditatem reſpirare coacti ſunt putridum aerem, per quem in ſcorbuticam, putridamque cachexiam incidunt miſeri. Id fatetur quoque Lindenus ipſe in p. 82. Ex quo manifeſte apparet memoratum auctorem vel inſcium ductum fuiſſe ad adſerendum ſcorbutum de putrido genere eſſe. Quod ſi hodie in Danimarca, in Svecia, in Norvegia, in Ruſſia, inque aliis Septentrionis regionibus ſcorbutus tam, quam antea, familiaris non eſt, id pendet a mutata victus ratione, ab dato ſtagnantibus aquis fluxu, atque ab cautione, quam ſervant earum regionum indigenæ circa tranſpirationis impedimentum. Utinam & id ipſum exequi poſſent nautæ, qui infidelis elementi ruinas, & quotidianas vehementes perturbationes tempeſtateſque paſſi ſcorbuti tyrannidem velint nolint experiri debent.

eam in nautarum ſanguine viſcidam lentamque diatheſim conciliant, qua ſcorbutum facile concipere poſſunt. Et ſemper certum eſt continuatum victus, aeriſque pro reſpiratione uſum datum parere ſolere morbum. Sic nautæ poſt longinquos per mare excurſus terram petere, & accipere anhelant novum aerem pro reſpiratione, novamque victus rationem inſtituentes, concepti jam ſcorbuti curam facile obtinent. Animi pathemata, præſertim timor, & mæſtitia ſcorbutum parere quoque poſſunt. His enim perſpirationem impedire, corpuſque debilitari, & dixerat Sanctorus, & experientia confirmatur. Sanguinem poſt hæc accidentia venenum ſcorbuticum concipere poſſe ſanior dictat ratio. Acuti morbi prægreſſi, indeque corporis ſummam imbecillitatem facientes ſcorbuti ſemina in hominibus facere poſſunt. Jugis enim indicat experientia valetudinarios homines ſcorbutum facile concipere. Sive id fiat per eas cauſas, quibus ſanguis miaſmate ſcorbutico inficitur, ſive fiat per eam corporis debilitatem, qua impetentibus mor-

morbi cauſis reſiſtere nequit, certum eſt valetudinarios ſcorbutum facile concipere poſſe.

§. 6. Hiſce ex cauſis ortus morbus ſuis peculiaribus ludit symptomatibus, de quibus heic aliquid adumbrare ſcribendi ratio poſtulat. Debilitas corporis, quæ in primis morbi temporibus obſervatur, pendet ab humorum lentore, quo & leviter comprimuntur fibræ, ideoque earum oſcillatio debilitatur, & parva fluidi neruei quantitas ſeparatur propter parvam ſanguinis vaſis cerebri factam adpoſitionem. Hinc torpor muſcularis motus, faſtidium ad conſueta vitæ munera, quietis deſiderium, animi triſtitia ſunt ſcorbuti prodromi, quibus indicatur morbum brevi in tempore fore venturum. Spirandi difficultas, quæ ad levem motum augetur fit ex non libera ſanguinis circulatione trans pulmonalia ducendi propter viſcorem, quem humores concipiunt. Et ſi quodammado pedes œdemate corripiuntur, quod oedema ad uſque genu non raro aſcendere ſolet, id fit partim ex impedito libero ſanguinis per pul-

Symptomatum ſcorbutum comitantium adumbrata explicatio.

mones tranſitu, quo cavæ venæ intra ſuum cor libera exoneratio impeditur, ſicque venarum omnium, indeque vaſorum lymphaticorum exoneratio præpeditur, partim ex compreſſione, quam per ſanguinis viſcorem recipiunt lymphatica vaſa libere ſuam lypham ducere non valentia, unde pedum oedema potiſſimum ex ratione, qua conſtat ab ipſis contra momentum propriæ gravitatis humores ad cor aſcendere debere. Gingivæ dolere incipiunt & tumidæ evadere, quæ in dies fiunt flaccidiores, mollioreſque, & pene univerſali ulcere fædantur, a quo intolerandus fætor emittitur. Morbi in hæc loca confluxus indicatur, qui ſive per peculiarem affinitatem, quæ eſt inter venenum ſcorbuticum, & gingivas, ſive per peculiarem ſalium conditionem quæ extat in ſaliva ſalia ſcorbutica ſecum ferentium, ſive (quod verius) per indolem putridam ſcorbuti gingivæ molleſcunt, & exulcerantur propter corroſionem, quam tenerrimis oris partibus infert venenum, ſive ab aliam nobis ignotam rationem, certum eſt vel

vel prima, & pene dicerem tutiſſima ſigna & incipientis, & confirmati morbi ab hac gingivarum læſione ſunt deſumenda. Debilitatis, & exulceratis gingivis dentes propriis in alveolis contineri nequeunt, unde facile decidunt. Et poſt tot putridarum in ore collectarum particularum, quæ partim a peculiari gingivarum vitio, partim a toto corpore veniunt, & tranſpirationi pulmonum, tracheæ, ventriculi, oeſophagi, fauciumque interiori addentur, nil mirum ſi intolerandum fætorem ſcorbutici ab ore emittant.

§. 7. Quod ſi cutis modo maculis, modo puſtulis undique fædatur, id ſane indicat ſcorbutum in eam conditionem venire, qua vel tenuiſſimas, oleaginoſaſq. cutis particulas maligna contagione inficere videtur. Hujuſmodi puſtularum cutis ortus in hunc modum intelligendus eſt. Dum ſcorbuticum venenum veluti per imperfectam criſim ad corporis ſuperficiem venit perturbat oleaginoſos cutis humores, qui pre juſto facti denſiores acrioreſque quandam & vaſis, & nervis irritatio- *Id ipſum ſequitur.*

 nem

nem creant, per quam & moleſtus excitatur pruritus, & major humorum affluxus fit. Sicque veluti pruriginoſum molle, & pungens phyma excitatur, cujus citam ſuppurationem ac veluti per vicina loca affuſum pus denſatum ſequitur aſpera, ac denſa cruſta, quam vocamus *puſtulam*. Hæc haud raro cum macula ſubobſcuri coloris conjungitur, ſicque a puſtula ſcorbutica diſtingui poteſt puſtula venerea, quarum aliæ ſunt *miliares* tamquam minutis aciculis conjunctis pares, aliæ ſunt *tophaceæ* oſtrearum teſtis apertis ſimiles, habentes duram cruſtam, a cujus interna ſuperficie ſæpe emititur ichoroſus humor. Quod ſi cum his copulantur maculæ ſubobſcuri, aut atrorubri coloris, quæ fiunt a ſanguine nimis diſſoluto per venenum ſcorbuticum, inque cellularem ſub cute effuſo, tunc cum ſcorbuticis his puſtulis copulari ſolet non parva febris, quæ de continuarum eſt genere non modiocrem corporis conſumationem faciens. Hinc ſi verum eſt aut gallicum, aut ſcorbuticum venenum ad cutim veluti ad cor-

po-

poris confinia accedere, quod non niſi per criſim accidit, verum quoque eſt ſanguinem ab humore ab ipſis puſtulis emanante infici, quo morbi in dies veluti reviviſcentis fomes exurgit. Neque ſpernenda ſunt ulcera ſcorbutica, quorum indoles maligna, cachoetica derivat ab illa ſanguinis vitioſa craſi, qua ulceribus perennis ſtimulus creatur, unde jugis fibrillarum per ulceris hiatum excurrentium corruptio & corroſio fit, Humores intra ulcus effuſi in corruptionem abeunt, & mollem fungoſamque carnem generant. Sic ichorem fætidum effundunt hujuſmodi ulcera, & nullam, aut raram ſubeunt cicatricem. Febris ſcorbutum comitari ſolet, quæ derivat ab illa irritatione, quam concipiunt cor, vaſa arterioſa, & nervi, propter malam ſanguinis diatheſim. Hinc perturbato circulantium humorum, & potiſſimum fluidi nervei naturali fluxu, virium voluntariarum, & involuntariarum æquilibrium deſtruitur, unde febris accenditur, quæ ideo continua, perennis & longæva eſſe ſolet, quia ſcorbu-

butico veneno non facile emendabili, ideoque ſolida ſemper irritanti ſuam cauſam refert acceptam. Neque denegamus poſſe ſcorbutum cum synocha putri, cum typho carcerum, cumque alia maligna putrida febri conjungi. Cunjunctio eo vel magis accidit, ſi memoratæ nunc febres epidemico charactere graſſantur. Suſcipiendis enim epidemicis, & conſtitutionalibus morbis multum valere ſanguinem miaſmate ſcorbutico fædatum viderunt pluries Kramerus, Lindenus, aliique, idque pariter experientia nos docuit. Et his morbis affecti ægri ut plurimum moriuntur.

Sequitur id ipſum. §. 8. Dolores oſteocopi, quos ægri percipiunt ad levem motum factos exacerbatiores, fiunt ab illa crudeli lancinatione, quam acer & irritans ſanguis nervis trans carnes & perioſtium & ligamenta excurrentibus jugiter dat. Et quando frequentem doloroſum oſſium ſtrepitum in motu articulari ſentiebat Lindenus, viderat in cadaveribus ſcorbuto mortuis epiphyſes ab oſſibus ſepara-

ra-

ratas (*s*). Quod ſi veteres quærebant ſcorbuti cauſam in abdomine, & potiſſimum in liene, id intelligendum eſſe fieri ab ea humorum ſcorbuticorum conditione, qua conſtat digeſtioni obeundæ deſtinatos ſuccos admodum vitiatos, & degeneres eſſe. Excretorios, & ſecretorios humores ab vitioſo impuroque ſanguine jugiter educi ſcimus experientia. Quod ſi poſt malam & digeſtionem & chylificationem alimentorum lento, vitioſoque latice replentur vaſa, nil mirum ſi huiuſmodi lentus humor hepar & lienem potiſſimum inva-

(s) P. 234. ubi pariter teſtatur ſe vidiſſe reſpirationem difficilem cum rumore copulatam. Cadavera ſcorbuticorum exhibuerunt per cartilaginoſas appendices corroſas coſtarum ab ſterno ſeparationem. Et ligamentorum corroſionem, a qua fiebat articulatorum oſſium ſeparatio, quoque vidit. Id repetebat ab illa humorum putreſcentia, qua vel durorum corporum prompta ſeceſſio, & ſeparatio in componentibus elementis fiebat. Putrefactionem potentiſſimam diſſolutionis corporum cauſam eſſe nonnemo ſcit.

vadere & obſtruere, & irritanti, qua pollet facultate, dolorem in ipſis viſeribus excitare valet. Hic eſt pariter ſtimulans humor, & lentus, qui inteſtinorum parietibus adhæret, eaque in crebriores oſcillationes adigit. Augetur itaque alvinarum fæcum egeſtio, quæ cum ſummis doloribus, & cruciatibus abdominalibus copulata *dyſenteriæ ſcorbuticæ* indolem conſtituit. Huiuſmodi inteſtinorum irritatio ſi ad uſque vaſorum lacerationem accedit, itaut fiat ulcus, tunc ſanguinis cum fæcibus mixti apparitio, atque non mediocris febris, corporis cita conſumatio, morſque tandem dyſenteriam ſequitur. Ab univerſali humorum maſſa ad inteſtina venire venenum dyſenteriam producturum notiſſima in praxi res eſt, quod in ſcorbuto verum eſſe quotidiana docemur experientia. Diarrhoea quando apparet de indole colliquativa eſſe ſolet. Humores enim omnes per venenum ſcorbuticum in putredinem, indeque in diſſolutionem abeuntes poſſunt ſub muci forma ab ano excerni. Pulſus in ſcorbuto ſunt debiles, & paulo frequentio-

res

res , & in confirmato morbo ab frequentibus ſyncopis corripitur æger . Id pendet ab illa irritatione , & conſtrictione , quam nervis , & fibris cordis acris , & venenata materies ſcorbutica affert , unde & parva ſanguinis quantitas in conſtrictos thalamos cordis venit, & parva ſanguinis quantitas ab ipſo corde ſingulis pulſibus emittitur . Adde his parvam fluidi nervei quantitatem a cerebro ſegregatam propter paucum bonum ſanguinem cerebri vaſis adpoſitum , indeque parvam eius fluidi quantitatem in cor venientem , & habebis alteram & pulſuum parvorum , & ſyncopes frequentis cauſam . Neque reticemus illam reſiſtentiam, quam per infarctos pulmones recipere poteſt ſanguis trans pulmones ducendus in naturali reſpiratione , qua efficitur , ut cor naturali ſanguinis influxu privari poſſit . Ab ipſo humorum lentore , & acredine derivat infarctus ille, quem in ſcorbuto patiuntur ægri , quo ſenſim ſenſimque corroduntur vaſa pulmonalia , & bronchialia , unde moleſtam tuſſim , & frequentem lymphaticæ , ſalſiſque materiei a-

na-

nacatarſim excipit hæmophtyſis, a qua inemandabilis phthiſis derivat, quæ mortem, tamquam ærumnarum requiem, arceſſit. Vidi ſuperiori hebdomada mortuum amicum juriſconſultum quadragenario majorem, qui in phthiſim pulmonalem per confirmatum ſcorbutum lapſus erat. Morbus nullis remediis obediens poſt duos annos arceſſivit hæmophtyſim, quam irreparabilis phthiſis ſequebatur. Ulcera ſcorbutica, quæ in pulmonibus excitantur nullam admittunt curationem. Corroſiva, & depaſcentia ſunt pulmones cito conſumere apta, tantamque putreſcentiam in ſanguinem immittunt, ut ægri mortem effugire non valeant. Tandem vaſorum corroſiones derivant ab illa generali abraſione, quam trans vaſa ducti ſanguinis globuli ſcorbuticis particulis ideoque corroſioni faciendæ aptis eorum ſuperficiei interiori inferunt. Sic ſenſim ſenſimque emollitis, & debilitatis vaſorum tunicis levem poſt quemcumque motum rumpuntur ſanguinem effundentia. Hoc ſi accidit in internis corporis partibus poteſt ſubitaneam mortem infer-

ferre. Sic intelligitur cur gingivæ parum tactæ ſanguinem fundunt, cur ulcera in quacumque cutis parte excitata ſanguinem emittant, cur narium hæmorrhagiæ, hæmorrhoidum, & uteri in mulieribus ſanguinis fluxus copioſi accidant etc.

§. 8. Prognoſticum morbi deſumendum rite cenſemus ab ſequentibus indiciis. Si morbus corripit accidentaliter hominem, cujus temperamentum non eſt aptum morbo concipiendo, is facile curatur. Si nauta reperitur in ſcorbuti initio, & poteſt terram petere, & vegetabilibus veſci, ſtatim immunis a morbo fit. Si frigidiſſimæ regionis accola reperitur in ea anni conſtitutione, in qua traſpiratio quodammodo augeri poteſt, & edere valet horæos fructus, tunc curationem morbi ſuſcipit. Si æger gingivas non multum corroſas habet, non multo oedemate laborat, non multum eſt debilis per prægreſſos acutos morbos, & potiſſimum per habitas febbres intermittentes, ideoque pedeſtri itinere ſe exerceri poteſt, tunc morbum bene terminari dicendum. Si *Scorbuti prognoſi.*

ma-

muculæ non ſunt nigræ, ſi puſtulæ non ſunt ichoroſæ, ſi ulcera non ſunt depaſcentia, & cachoetica, ſi cum lue gallica non eſt copulatum venenum ſcorbuticum, ſi morbus conſtitutionalis non eſt, ſi tandem corporis vigorem non tollit citam promittit curationem (*t*). Non eſt idem prognoſticum faciendum

(t) Hæc omnia indicant non eſſe venenum ita in corpore firmatum, ut humorum diſſolutionem multam putredinoſam pariat, & functiones non eſſe ita labefactatas, ut de vita ægrotantis timeri poſſit. Vigor corporis non eſt adhuc amiſſus, reſpiratio ſana & naturalis apparet, nullaque labes in pulmonibus percipitur. Ciborum digeſtio & chylificatio rite perficitur. Nulla febris eſt, parva gingivarum læſio videtur, ut non multus ab ore emittatur fætor, nullo oedemate corripiuntur pedes, nullaque ad hydropem eſt diſpoſitio etc.; tunc ſcorbutum utpote factum ab debili, & parva materiali cauſa cito vel adhibitis innocentioribus remediis curari ratio, & experientia ſuadet. Quod ſi nautæ juribus recenter mactatorum vitulorum, nec non pura aqua, & vegetabilibus refici poſſunt, & humi-

dum de ſcorbuto, qui conſtitutionali, & epidemico charactere graſſatur, qui corripit homines melancholicos, atrabilarios, aut eos, quos lues gallica nimis vexavit. Semper mali ominis eſt diuturna puſtularum & macularum in cute apparitio, nec non multa gingivarum putrefactio ſummum fætorem ſpargens. Indicant enim hæc jam magnam factam eſſe ſanguinis diſſolutionem. Dyſenteria, & lenta febris apparens utpotequæ fit ab læſione inteſtinorum, & nervorum, ac ſyſtematis arterioſi, quæ non facile emendari poteſt, mortem prænunciat. Summa corporis imbecillitas, pedum oedemata, pinguedinis conſumatio, pulmonum læſio, indeque orta hæmoptyſis ac phthiſis ægrum brevi moriturum indicat.

midum aerem, ac putrefactum non reſpirant, tunc citam morbi curationem obtinent. Referunt enim Lindenus, S. Yvjus, Graingerus, Kramerus, aliique ſe vidiſſe nautas ſcorbuto haud negligendo affectos curatos ſtatim ac firmam terram petiverint.

Vidi ſuperiori menſe puerum annorum 12. peſſimo ſcorbuto conflictatum, qui ab ore ſanguinem cum pure mixtum jugiter emittebat, erant enim gingivæ exulceratæ. Totus erat tumefactus, ita ut videbatur leucophlegmaticus. Intollerando fætore tota domus inficiebatur. Febri laborabat acuta, quam putridam eſſe omnia ſigna indicabant. Morbus omnia artis præſidia eludens tandem extremo fato ægrum addixit. Quomodo itaque ſervari poteſt æger ſcorbuto detentus, cuius morbi vehementia, & malignitate ſolidorum, & fluidorum conditiones perverſæ & labefactatæ nimis ſunt, nec non omnium functionum læſiones apparent? Et quando ſummam putrefactionem concipere fluida in ſcorbuto obſervatur, inevitabiliter mori ægros experientia docemur (*u*).

§. 9.

(u) Diſputatum eſt ſemper, nec inter noſtrates diſputatio quievit circa ſcorbuti verum contagium. Concertationis fundamentum ponebatur, & in morbi conditione, & in caſibus fa-

§. 9. Curatio ſcorbuti ab iis remediis abſolvitur, quæ uſu & experientia conſtat veneni correctionem, de- *Scorbuti curatio indicatur.*

L 2 ſtru-

---

factiſque certis utramque partem ſpectantibus. Alii dicunt ſcorbuto affectos maximum emittere fætorem, & ut plurimum cutem puſtulis, maculiſque fædatam gerere. Fætorem illum tamquam factum a tenuibus particulis alcalinis, aut alius indolis venenatæ tanta cum ratione quaverſum diffundi, ut ab infecto in ſanum corpus contagium facile immittere valeat. Et cutaneæ puſtulæ eandem contagionem facere valent, potiſſimum ſi per contactum immediatum, aut per fomitem viventia tanguntur. Hiſce rationibus facta addebant, quibus ſtatuebatur ſcorbuti contagii certitudo, potiſſimum quando ad oculum adparebat infectos homines coinquinare. Hoffmannus, Boerhaavius, Swietenus, aliique ſummi viri in hunc modum de morbi contagione locuti ſunt. Alii vero negant & morbi indolem contagioſam, & facta contagionem ſtatuentia. Lindenus præ ceteris numerandus eſt, qui omne ſcorbuti contagium negat, aſſeritque ſe multiplici experientia obſervaſſe, neque per fomitem, neque per contactum immediatum morbum ab infecto in ſanum corpus

ſtructionemque facere poſſe . Rite inſtituitur curatio, quando medicamenta per varios morbi gradus varia propinantur. Juvat in primo morbi tempore alvum levibus eccoproticis ſubducere ab ſarſa ſolutiva , aut ab ptiſana parata ab

---

pus tranſire. Verum nos quemadmodum aſſerimus certis indubiiſque ſactis nil poſſe obiici, ita pariter dicimus vanam non eſſe multam cautionem, quæ ſemper haberi debet de ſcorbuti contagio . Pluries enim vidi ſcorbutica ulcera oris poculis , & oſculatu , ac ſuctione de infecto in ſanum corpus tranſire . Juriſconſulti mei familiariſſimi memorati jam mortui pulcherrima conjux conſilium meum nudius tertius petebat , ut ab jam incipienti ſcorbuto, quam ab ſuo conjuge acceperat, liberaretur. Gingivæ jam tumere incipiebant , & facile ſanguinem effundebant, nec non magnum fætorem emittebant . Sancte vobis teſtari poſſum , adoleſcentes, hujus mulieris ſcorbutum per contagium enatum fuiſſe . Iterum dicere fas eſt ſcorbutum non eſſe tantum contagioſum, quantum nonnulli putant, ſed non penitus eſt ſpernenda cuſtodia & diligentia , quam ad impediendum , & arcendum contagium prudentes homines adhibere ſolent.

ab ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, et ſennæ foliis inſtitutis. Huiusmodi pharmacum non parum in morbi initio ægrotis profuiſſe pluries experientia nos docuit. Sanguinis miſſio eo in ſenſu laudari ſolet, quoniam ſcilicet aut dolor quicumque, aut quæcumque orta hæmorrhagia compeſci debet. Emeticum nullo modo covenit, potiſſimum ex eo, quia per concuſſiones vehementes rumpi poſſunt vaſa ſanguinea ab veneno ſcorbutico debilitata, ſicque ægris non parva noxa creari poteſt. Quando humores quodammodo ſunt denſati, debent per ſerum lactis cum antiſcorbuticis herbis copulatum ſolvi. Ex lacte itaque aut caprillo, aut aſinino parari ſolet depuratiſſimum ſerum, quod modo cum decoctione ſarſæ parillæ & ligni ſancti, modo cum decoctione cochleariæ & naſturtii aquatici coniunctum optimum remedium pro curando ſcorbuto evadere ſolet. Noſtrates parant ſerum antiſcorbuticum deſtillatum optimum pro curando morbo remedium. Accipiunt datam quantitatem ſarſæ parillæ, cochleariæ, aceſoſellæ

naturtii (quibus & viperam quoque addunt decorticatam). & cum ſero depurato faciunt deſtillationem. Huiusmodi ſeri ad uncias decem quotidie propinant, cujus diuturnum uſum ſcorbuto curando maximopere valere jugis experientia docet. Quando tanto remedio utuntur ægri debent ſolis vegetabilibus, oleribus, & fructibus horæis veſci. Nautæ his auxiliis deſtituti poſſunt comedere cæpas, allia, & gallinarum, aut ovium recentes carnes aſſas. Hæc animalia poſſunt viva per longum tempus in mare ſervari. Sive quod alcalinis ſalibus onuſtæ ſubſtantiæ venenum ſcorbuticum corrigere, ſive quod urinas potenter movere valent, certum eſt earundem uſum maxime proficuum eſſe a claris: Lindeno ſcimus [x]. Quando gingivæ relaxantur, & flaccidæ fiunt, denteſque facile decidunt, tunc aluminis & baccarum quercum decoctione ſæpe abluendæ

(x) P. 179.

endæ ſunt. Nimis autem putrefactas & corroſas gingivas chinchinæ, & myrrhæ decoctione ſpiritu ſalis dulcis multa quantitate infecta pluries de die tangere oportet. Qui ad abluendam oris, & gingivarum putrefactionem commendant aquam hordei cum melle roſaceo copulatam præſcripto remedio debilius adhibent. Chinchina, myrrha, & ſpiritus acidi minerales potentiſſime cohibent partium putrefactionem. Hæc quoque conveniunt ulceribus ſcorbuticis, quorum indoles maligna quodammodo coerceri, & corrigi poteſt ab vi & virtute memorati remedii.

§. 10. Quod ſi morbus ulteriores in corpore fixerit radices, putrediniſque ſigna patentiora fuerint, tunc, quolibet interdicto cibo, ad lacteam diætam faciendam æger eſt perducendus. Huius remedii diuturno uſu poteſt ab orci faucibus homines eripere. Tota diligentia eſt collocanda, ut per bonam, prudentamque methodum tantum remedium æger non faſtidiat, & ab eius uſu per neglectam diligentiam arceri debeat. Vidi aliquando lac cum decoctio- *Id ipſum ſequitur.*

L 4 ne

ne chinchinæ copulatum optime proceſſiſſe. Cum aceto coniunctum lac æger bene digerere ſolet. Horæos fructus veluti ſunt fragae, ceraſa, ribesia, pruna, pera, & his ſimilia grata aciditate prædita poſſunt cum lacte manducari, & adverſus ſcorbutum magnum parant alimentum. Malorum aurantiorum, & limoniorum, vel citrorum ſuccus ſæpius de die epotus efficaciſſime ſcorbuto medetur. Et Lindenus ab hoc ſucco parabat extractum, quod diu in mare ſervabat pro nautarum ſcorbuto laborantium magno auxilio. Ipſum in frigida diſſolutum quotidie propinabat tamquam maximum morbi remedium. Acetum, quod nautæ diutiſſime per mare excurrentes optime ſervant, efficax eſt adverſus ſcorbutum præſidium. At acidis mineralibus, & potiſſimum ſpiritu vitrioli non datur præſtantius remedium. Adverſus putredinem humorum ab ſcorbuto productam vidi ſemper ſpiritum vitrioli maximum eſſe auxilium, præſertim ſi in generoſa quantitate exhibetur, & cum decoctione chinchinæ copulatur. Chinchinam pulveriſatam & ad unciam unam & ſe-

ſemis partitis vicibus quolibet die propinatam & ſcorbuto jam putredinis confirmatæ ſigna exhibenti, & febri ſcorbuticæ omnia conſumanti & depaſcenti mederi poſſe docet quotidiana praxis. In huius pharmaci exhibitione diu fidere debemus, & quantum rei neceſſitas patitur inſiſtendum, ut ope tanti remedii putredo ſcorbutica temperari & ſiſti poſſit. Quando partitis vicibus, ſcilicet omni bihorio chinchina pulveriſata ad dracmam unam & ſemis exhibetur, poteſt horis intermediis malorum arantiorum, aut limoniorum, aut id genus ſimilium acidorum vegetabilium ſuccum in frigida immiſſum bibi. Nec vanum erit aqua calcis ſecundæ infuſionis uti. Hoc remedio adverſus ſcorbutum præſtantiſſimo uti ſolemus, nec nos pænituit in deſperato morbo genoroſam memoratæ aquæ quantitatem propinare. Et ſive cum lacte ſive cum decoctione eiusdem chinchinæ coniunctam eam exhibetis efficaciſſimam ſcorbuticis opem afferre poteſtis, adoleſcentes. Sed ipſa maris aqua prudenter bibita valet ſcorbutum curare. Nec vana-

na eſt adminiſtratio balnei ipſius maris aquæ, quod poteſt quotidie inſtitui. Vidi frequenter ſcorbuticas puſtulas inſtar incantamenti, balneo marino prudenter inſtituto, curatas. Quod ſi in morbi initio tuto memoratum balneum inſtitui poteſt, non eſt inde tamen, ut in aliis ſcorbuti temporibus, in quibus maxima extat humorum diſſolutio, febrisque veluti lentæ effectus timentur, ſemper ab hoc balneo arceri ægrotantes poſsunt. In hoc ſcorbuti ſtatu ſive chinchina, ſive lac, ſive ſpiritus acidus, ſive aqua calcis, ſive id genus aliud antiputridum pharmacum propinatur, poteſt quoque tentabunda veluti manu maris aqua propinari.

Id ipſum ſequitur. §. 11. Hæc remedia conveniunt quoque in ultimo ſcorbuti ſtatu, in quo putredinis ſigna manifeſtiora apparent. Et licet difficile ſit morbum radicitus curare, non eſt inde tamen, ut de ægri ſalute deſperari penitus debeat. Si in mare nulla adeſt aeris ventilatio illius imi navis loci, in quo vivunt nautæ, aliuſq. vilis gentis homines, poteſt *Suctoniana machina* aeris renovatio

tio inſtitui, & ut vita ſervari multorum hominum ſcorbuto affectorum valeat, Gubernator debet, quo fieri cito poſſit, firmam terram petere. Tunc novo alimentorum genere, & recentium animalium carnibus, & horæis fructibus, & oleribus &c. ut dictum eſt §. 10., ægrotantes uti debent. Ceterum deficientibus omnibus nuper indicatis remediis in mare, vidit Lindenus vinum depuratum, birram recenter præparatam, decoctum avenæ cum ſpiritu vitrioli dulcis copulatum, & his ſimile aliud potum non mediocrem ſcorbuticis opem attuliſſe. Duo illa mala in ſcorbuto accidentia, nempe hæmoptyſis, & dyſenteria ut plurimum interficere ſolent. His medentur jam memorata §. anteced. remedia. Et unicum ac veluti ſolitarium auxilium in corroborandis inteſtinis, & ventriculo, dyſenteria vexante ſcorbutica, reponendum eſt. Hinc vinum generoſum cum nive copulatum parva in quantitate ſemel, iterum, tertio, de die bibi debet. Ipecacuanham in ſpiritu vini infuſam inſtantaneum emolumentum

tum

tum attuliſse refert ex *Chriſtie* Lindenus (*y*). Quod ſi pertinax eſt hæmoptyſis, poſt imperatam diætam lacteam,

(y) P. 190., in quo loco pariter commendat aquam theriacalem qualemcumque, & elixir vitrioli, quod in decoctione chinchinæ multum frigefacta immitti poteſt. Hæc remedia curare poſſunt ſcorbuticam dyſenteriam: Ceterum refert Thomas Maude Medicus Caſtrenſis, qui pluries Groelandiam adivit ſe vidiſſe ſcorbuticos illius regionis frequentiſſimos ſolo eſu cochleariæ curatos. Hoc vegetabile undique abundat in Groelandia, & verum reddit veterum effatum quo aſſeritur *ubi morbus ibi remedium*. Dum frequenter ſive crudam, ſive coctam manducant, abſque ullo alio auxilio, curantur cito ſcorbuto affecti. Id ipſum teſtatur Kramerus, Huxam, Hoffmannus, Adincthonius, & Swietenus. *Trifolium*, *naſturtium aquaticum*, *rutam murariam*, *herbam vermicularem*, *ſive ſedum minus*, *primum antiſcorbuticum*, *corticem Winteranum*, & his ſimilia ſpecifica laudant Scriptores, aſſeruntque modo unum, modo alterum nunc in una, nunc in alia Mundi regione efficaciſſime ſcorbuto mederi. Horum apud nos nulla extat obſervatio; hinc vos monitos volumus ado-

ctam, & omnimodam corporis animique quietem frigidam cum ſpiritu vitrioli dulcì copulatam pluries de die bibendam vos præſcribere poteſtis. Et in hac affectione, quemadmodum & in dyſenteria opium purum non ſemel, licet parca doſi, propinatum maximopere profuiſse ſcimus. Quod remedium in maximis ſcorbuticis doloribus ſedandis generoſa quidem doſi exhiberi poteſt. Sed præ omnibus remediis laudari ſolet liquor anodynus Hoffmanni, vel rectius æther Flobenii. Huius reme-

---

adoleſcentes, ut ob ſupra expoſita curandi ſcorbuti methodo ne recedatis. Vidi aliquando profuiſſe ſuccum taraxici cum terra foliata tartari copulatum, & per ſeſquimenſem exhibitum. Narrant mihi cordatiores practici, quorum amicitia delector, ſe ſcorbuti vidiſſe magnam curam facere ſal volatile alcalinum ſolidum, quod paratur ex æquali ſalis ammoniaci, & calciscretoſæ parte. Crederem huiuſmodi pharmacum multum valere in primo morbi ſtadio, quando nempe humores adhuc denſati ſunt. Doſis eſt a granis decem ad uſq. triginta.

medii vis ſedativa, & antiſeptica omnibus hodie nota eſt. Exhiberi poteſt ad guttas viginti in ſufficienti quantitate aut ſirupi diacodii, aut aquæ dulcis. At ut verum fatear purum opium ſuſpectum eſse debet, utpote quod non ſedare penitus ſolet dolores, qui fiunt ab ſcorbutico putridoque veneno. Et exteriori corporis parti dolenti applicabat Lindenus cum ſummo ægrotantium emolumento ſuccum nicotianæ cum tinctura mirrhæ copulatum. Et hoc remedio maculas ſcorbuticas quoque temperabat. Nos ſolutionem opii, & fotum aquæ chamæmeli cum fructu dolentibus partibus quoque admovemus. Tandem ſi frequentes ſunt hæmorrhagiæ, ad arcendum mortis metum omnimodam quietem corporis animique imperamus, dum remedia antiſcorbutica ſumma cum attentione propinantur.

ARTICULUS III.

Lepra, Scabies.

§. 12. QUi hoc articulo continentur morbi non multum a ſcorbuto alieni ſunt. Lepra teterrimum eſt morbi genus cutim invadens, Antiquis Aſiæ Populis familiariſſimum. Hebræi enim ab hoc morbo diu vexati fuere, & Hebræorum lepram exactæ nimis deſcripſit Moyſes (z). Nomen obtinuit a plagis, & ſquamis, quarum vocum ſimilitudini reſpondet *lepra*. Cum adparentibus ſquamis, & plagis cutis ludere ſolet ſemper morbus, de quo nunc mentio occurrit. Quando chriſtiani *terram Paleſtinam* religionis cauſa adierant per contagium lepram conceperunt, eamque in Europam tulere, quemadmodum hiſtoriæ referunt. Olim morbus erat frequentiſſimus, nunc rariſſime obſervatur. Et

Quid lepra, & quæ num ejuſdem denominatio.

(z) Levitic. c. 13. v. 2. & ſeq.

Et Veteres *Leontiaſis*, *Sutyriaſis*, & *Elephantiaſis* nomine quoque lepram appellaverunt. Celſus (*a*) Aretæus (*b*) Avicenna (*c*) Proſper Alpinus (*d*) Aetius (*e*) Dolæus (*f*) & de Villars (*g*) exactam lepræ deſcriptionem dederunt. Andreas Cleyerus primo lepram vidit in inſula Java, eamque horrendam corporis deformitatem inferentem, quam addita icone expreſſit, exacte nimis deſcripſit (*h*). Verum inter recentiores de lepra benemeritos ſcriptores nimis laudari meretur *Godfredus Guilielmus Schillingius*, qui lepram *ſurinamenſis* populi fædiſſimam diligenter deſcripſit. Hu-

(a) Lib. 3. cap. 25. & in lib. 5. cap. 1.
(b) Chronic. morbor. lib. 2. cap. 13.
(c) Lib. 2. cent. 3. Tract. 2.
(d) De medic. Ægyptior. cap. 15. p. 55.
(e) De ſymptom. ex lib. Archig. c. 120. p. 415.
(f) Encycloped. Chirurg. ration. lib. 5. cap. 9.
(g) In tract. Chirurg. lib. 2. p. 71.
(h) Vid. Ephemer. German. Dec. 2. menſ. Decembr. anni 1683. obſerv. 5.

Huius operis ſapientiſſimi editionem debemus Cl. Hahanio Lugduni Batavorum cum ſumma laude medicinam exercenti. Hic Schillingio multa familiaritate coniunctus manuſcriptam diſſertationem ab amico acceptam typis committendam curavit, & Schillingii laudes, qua decet honeſtum & ſapientem virum, ſumma ſimplicitate in prolegomenis extollit. Schillingium itaque has breves de lepra prælectiones ſcribentes ſequi dictat ratio & prudentia.

§. 13. Schillingius itaque *elephantiaſim*, *Hebræorum lepram*, *juniorum Arabum*, *malum ſancti Lazari* (i), *ſeu Hie-* *Lepræ definitio juxta Schillingium.*

M

(i) Quando ab Hieroſolymis rediere Galli multum inter ipſos lepra graſſari obſervatum fuit. Huic occurrendæ veluti publicæ calamitati pecularia inſtituta fuere noſocomia ſub titulo *S. Lazari*, & morbum ipſum, cui curando illa publica opera inſerviebant, *morbum S. Lazari*, vel *Lazareti* dicebant. Senſim, ſenſimque lepra miteſcere, immo & deficere cæpit, & noſocomia, eo magis quod male adminiſtrabantur, demiſſa fuere.

Hieroſolymitanum; & *Americanum Boaſi* (*k*) uno lepræ nomine comprehendit. Carolus Lorry, qui de morbis cutaneis nuperrime ſripſit, *vitiliginis* nomine lepram deſignavit, & veterem illam cutis affectionem, quæ inter Hieroſolymitana bella graſſari videbatur, nil aliud fuiſſe, niſi vitilignem Grecis dictam αλφον, & Celſo notam putat (*l*). Adoritur itaque morbus cutim maculis hinc inde diſperſis genitales primum partes invadentibus. Albæ ſunt maculæ & ſquamoſæ modo parvæ unguibus noſtris adſimiles, modo latæ palmam manus æmulantes. Sunt pruriginoſæ admodum, & ſi primis in temporibus aridæ apparent tractu temporis evadunt humidæ. Cutis enim inter ipſas finditur, & veluti in rimas ape-

Lepræ ſymptomata.

(k) Hac voce Lepram Americani appellant.

(l) Lib. V. cap. 28., in quo Cl. Auctor deſcribit herpetem ad ultimum gradum perductum, quo ita lepræ indoles propius deſignatur.

aperitur. Ab his rimis ſtillat ichoroſus humor fætidus acerque nimis. Tunc temporis adparet cutis inſenſibilitas, quæ toto morbi tempore durat. Quando ad faciem veniunt maculæ, & lepra ulteriores in corpore fixerit radices, tunc tumere incipiunt labia oris, & glabella tumida & rugoſa evadit, & aliquando mirum in modum extuberat, ut oculos ipſos operiſſe videatur ad inſtar glabellæ leonis, ex quo factum eſt, ut lepra quoque *leontiaſis* ſit appellata (*m*). Oculi flammei apparent, & genæ rubent tamquam ſi cinnabarino ſint colore perfuſæ. Hic color tractu temporis in ceruleum mutatur, & quo morbus vetuſtior, eo color faciei lividior eſt. Quando rubet, facies tunc ſatyriaſi correptos eſſe diceres homines. (*n*) Maculæ pedetentim ſe ſe divagantes

(m) Ab Aretæo loc. citat.

(n) An ex hoc vultus lepra correptorum aſpectu, an quod re vera cum hoc morbo conjungatur penis magna & permanens tumefa-

tes occupant tandem univerſum corpus. Solent frequenter præ primis partes pilis obtectæ, veluti ſunt pubis regio vulvæ labia, nates, & alæ obſideri, & quando hæ maculæ in ulcera degenerant, decidunt pili, & glabræ partes fœdis ulceribus obſitæ emittunt fætidum ichoroſumque jugiter humorem. Aures tumidæ quoque obſervantur, & earum lobi duris, & calloſis obſidentur tuberculis. Hoc in ſtatu durat morbus per plures annos. Quod ſi æger ſuæ vitæ & morbi haud memor ſit diæteticæ præcepta negligat, tunc incrementum multum ſuſcipit morbus, & mors cito arceſſitur. Leproſæ maculæ a facie per univerſum corpus ad uſque pedum plantas extenduntur. Tubercula, & nodi duriſſimi valliculas, & fiſſuras intercipien-

Quibus ludit ſymptomatibus lepra.

---

factio dici debeat, quod veteres aliquando quoque lepram dixerint *ſatyriaſim*, definire non audeo. Poteſt utrumque ſymptoma cum hoc morbo conjungi, unde ſatyriaſis nil eſſe debet, niſi unum ex præcipuis lepræ ſymptomatibus.

pientes erumpunt. Cutis inſenſibilis, & tumida, & colore livido defædata apparet. Videtur repreſentare elephantis cutim, ex quo factum eſt, ut hicce lepræ ſtatus *elephantiaſis* quoque dictus ſit (o). Manuum, & pedum digiti

M 3 craſ-

(o) Aretæus Cappadox inter veteres primus fuit, qui exactam elephantiaſis deſcriptionem tradidit lib. 2. chronic. cap. 23. Hic auctor nullam inter lepram, & Elephantiaſim diſtinctionem facit. Aetius, Avicenna, Proſper Alpinus, Dolæus, aliique id ipſum teſtantur. Schillingius Magnorum horum virorum veſtigiis inſiſtens ſuis obſervationibus, unum idemque morbum eſſe comperit. Id re vera denegari a boni conſilii medico nequit. Lepram & Elephantiaſim unum morbi genus recognoſcere dicendum. Et elephantiaſim nil aliud eſſe, niſi extremum lepræ gradum adſerendum. Quando lepra ad illud cutis ſtatum pervenit, in quo & ſumma inſenſilitas, & ſumma cutis durities, & tumefactio frequentibus ſrimis, & fiſſuris interſperſa, nec non magna pedum tumefactio ulceribus duris, & calloſis obſita apparet, tunc dicitur Elephantiaſis. In pedes præſertim morbus figitur. Pedes

craſſeſcunt, & ſub unguibus veſiculas continent. De una in alteram phalangem malum ſerpit, & tanto tumore prehenduntur, ut ſub ipſo tumore digiti ſepulti videantur. Tacite ſub hoc tumore venenum corrumpendo ludit, & ſenſim ligamenta digitos ſubſtinentia rodit, ut levi ex cauſa decidant digiti. Et a digitis extenditur ad totum articulum morbus, ideoque vel ipſum totum

---

des turgeſcunt & extenduntur, nec raro digiti tumefacti ſanguinem effundunt. Serpit ad uſque genu morbus, & ita conjungit ligamenta, & oleum articulare, inque unum fixum ſtatum figit, ut nullo modo pedes moveri poſſint. Dum hæc fiunt cutis ita in rugas, & plicas adigitur, ut nobis artus diligenter inſpicientibus occurrat elephantis pedis forma, & ſimilitudo. Hæc eſt elephantiaſis, quæ per viginti, triginta, & quadraginta annos durare poteſt abſque eo quod ægrum occidat. Quod ſi ab genu extenditur ad uſque manus morbus, tunc vel ipſæ carnes calloſis, fædiſſimiſque ulceribus occupantur, & ab his fætidus emittitur ichor, qui lentam & continuam febrim inducens tandem ægrum interficit.

tum membrum aliquando decidere viſum ſit. Ulcus ab delapſo vel digito, vel articulo relictum ne ſanari immo & ne miteſcere quidem obſervatur. Recrudeſcit ſæpe ſæpius, & nova ſemper maligna ſymptomata inferens tandem occidit. Maxima eſt univerſæ cutis, & celluloſæ ſubiectæ membranæ tumefactio & durities, in qua, obliteratis, & obcæcatis veluti canaliculis exhalantibus, impeditur transpirabile. Sic corpus impuritatibus ſcatens in cachexiam, leucophlegmatiamq. incidit. Et qui in melancholiam incidebant violentas ſibi ipſis intulerunt manus, & ut plurimum laqueo ſuſpenſos vidit laudatus Schillingius.

§. 14. Hiſce, aut ſimilibus apparentibus ſymptomatibus ludere ſolet lepra, quæ ab datis peculiaribus derivare ſolet cauſis. In genere quidquid in ſanguine venenum leproſum parere aptum eſt, id ſane morbum efficit. Huiusmodi veneni indolem divinare admodum difficile eſt. Crederem ab effectibus id poſſe quodammodo percipi. Duo ſymptomata potiſſimum lepram con- *Quænam eſt lepræ cauſa.*

conſtituunt, nempe mutatus cutis color, & inſenſibilitas. Ergo venenum lepræ talem mutationem in vaſa, inque nervos cutis afferre debet, qualis hiſce accidentibus producendis eſt opportuna. An ex corruptione ſanguinis morbus derivat, prout putabat Aurelianus? (*p*) An ex melancholico ſanguine fæculentioreque, vel ex eius limo, vel bile flava, utrisque nimium uſtis, quemadmodum dixit Ægineta? (*q*) An ex cholera in toto corpore diffuſa membrorum formam & figuram mutante prout putat Avicenna? (*r*) An ex cancro per cutim genito, quemadmodum exiſtimat Paræus? (*s*) An ex mala jecoris & lienis diatheſi ſanguinis & reliquorum humorum elaborationem pervertente, prout dixit Horſtius? (*t*] An ex particulis ſalinis abundantibus fixis ſanguini com-

Variæ Auctorum de lepræ cauſſa ſententiæ.

(p) Lib. 4. p. 24.
(q) In lib. 4. cap. 1.
(r) Cent. 3. Tract. 7. c. 1.
(s) Cap. 11. p. 584. de præſag. lep.
(t) De morb. contag. lib. 7.

commixtis ipſum ſpiſſiorem reddentibus, quemadmodum adſerit Helmontius? [u] Verum ne in hiſce inutilibus recenſendis tempus terere videamur rem ita exponimus. Ex congeſto lento, viſcidoque veneno intra vaſcula cutis talem papillis nervoſis compreſſionem, & ſit verbo venia, ſuffocationem afferri, qualis deſtruendo & ſuffocando ſenſui par eſt, credimus. Quo creſcit durities cutis ex congeſto hoc humore eo augetur durities partis, & inſenſibilitas. Quod ſi ex humoribus, & potiſſimum ſano ſanguine pellucida cutis vaſcula permeante naturalis cutis color derivat, nil mirum, ſi ſtangnantia hæc fluida intra memorata vaſcula ſequatur cutis ipſius coloris, degeneratio. Et poſt diuturnam hanc fluidorum moram ac poſt multam cutis duritiem ſenſim ſenſimque craſſos humores acres & corroſivos evadere debere facile eſt conieƈtandum. Poſſe cutim

(u) De lithiaſi p. 59.

tim humanam admodum duram evadere, atque ſummam duritiem ac firmitatem habere, ut arboris corticem emulare videatur, plures indicare poſſunt caſus. [x] Poſt tantam horum humorum

---

(x) Inter omnes valet ſequens. Virgo 17. ætatis annum agens, cujus nomen *Patritia Galieri*, Incurabilium noſocomium adivit die 22. menſis Julii anni 1752. Habebat ſummam tentionem, & duritiem in tota cute. Re quidem vera medico diligenter cutim inveſtigaturo occurrebat adoleſcentulæ cutis ea tentio, & durities, ut certe non cutim, ſed aut exiccatum corium aut durum lignum corporis ejus ſuperficiem cooperire diceres. Neque tentio, & durities erat eadem in tota cute. Nam in collo, in fronte, in palpebris, in oris labiis, inque abdominis anteriori parte reliquis partibus erat major. Hujuſmodi memoratæ partes nullo modo moveri poterant. Neque muſculi cuti ſubjecti quoddam in motu impedimentum habebant. Libere enim ad voluntatis nutum movebantur. Et ſi quædam difficultas aliquando in motu a virgine ſentiebatur, id non a vitio muſculorum, ſed ab durata, & tenſa cute accidebat. Primus morbi aſpectus vi-

rum intra cutis vaſcula ſtagnationem advenire ipſorum acrimoniam, & corroſivam indolem poſſe facile eſt inferendum, potiſſimum ſi concipiatur venenum *ſui generis*, quod poſt longum tem-

---

viſus fuit in cute colli, inde ſenſim per univerſum corpus diffundebatur. Somnus erat ſano ſimilis, alvus recte aperiebatur, menſtruatio nulla adhuc viſa eſt, neque ſudor, licet virgo maximopere defaticabatur, adparere umquam potuit. Et quod mirum omnibus videri poteſt, virgo ſummam in tanta cutis rigiditate ſenſationem habebat. Non poterat enim cutis vel leviter tractari quin dolor ab ægra percipiebatur. Urinæ potus menſuram ſemper ſuperabant, & erant ſaturatiores, & rubicundiores. Numquam ab animi pathematibus virgo vexata fuit. Poſt duos menſes ope hydrogalæ, balneorum frigidiuſculorum vaporoſorum, mercurii interne ſumpti, emiſſarii ad crus ſiniſtrum admoti, frictionum pannis aſperis inſtitutarum, rectæ victus rationis, clyſterum emollientium & his ſimilium priſtinæ ſanitati adoleſcentulam reſtituit *Cl. Carolus Curſius* noſter, cujus de hoc morbo ſingulari diſſertationem Nolleto miſſam legendam vobis commendo.

tempus ſummam degenerationem corruptionemque acquirere valet. Summo lentori adiuncta acredine conſtans venenum corporis periferiam occupans efficit in cute tumores ad inſtar ſcirrhi, qui hinc inde occupantes cutim eam reddunt inſenſibilem, duram, fiſſuris ſummis inſperſam, & ſi facies, & auriculæ his tumoribus fædantur horrendo aſpectu ægri repreſentantur. Nec mirum ſi ſenſim ſenſimque intra carnes penetrans virus eas ad uſque ligamenta conſumat. Ita fit, ut poſt fædiſſimorum ulcerum depaſcentiam, & poſt permanentem ſummam digitorum tumefactionem digiti, & ipſi articuli decidant. Eodem modo de pilorum coloris mutatione, de febri lenta tandem apparenti, deque reliquis lepræ ſymptomatibus ratiocinari poteſt. Quod ſi quæratis, adoleſcentes poſt tantam acrimoniam veneni cur non oritur aliquando inflammatio cutis, ita reſpondeo. Potiſſima memorati veneni virtus contra nervos cutis dirigitur, quibus ſenſibilitatem tollit. Inflammationem abſque ſummo ſtimulo fieri non poſſe

no-

notum vobis eſt. Hunc ſtimulum inflammationi pariendæ aptum non ſentiunt cutis nervi ſenſibilitate orbati. Ergo dari poteſt corrodens veneni virtus, quam nulla excipit inflammatio.

§. 15. Hæc de materiali lepræ cauſa ſuſpenſo veluti judicio attigiſſe ſit ſatis. Supereſt ut de procatarcticis morbi cauſis obiter nonnulla exponamus. Lepram Ægyptiis, indeque Arabiæ populis fuiſſe familiarem, certum eſt. Ab hiſce regionibus migravit morbus ad Ethyopiam, a qua ad inſulas Americæ meridionales exportatus eſt. Tantam populorum infectionem fecit commercium, quod diu inter has gentes inſtitutum eſt. Hebræi Ægyptum habitantes peſſime a morbo conflictati fuere, qui licet a *Summo Deo* digna factis recipientes lepram receperunt tamquam ſummum malum tota vita pænam ſceleri inferens, ut ex *Levitico* habemus, attamen haud inficiari poſſumus ipſos a phyſicis quoque cauſis fuiſſe affectos. Europæi Aſiæ regiones petentes morbum contraxerunt, ut §. 12. diximus. Sed aer, peculiaris vi-

Quænam ſunt procatarcticæ lepræ cauſſæ.

vivendi ratio, mores, & his ſimiles cauſæ Ægyptum, Arahiam, Æthyopiam, Abiſſiniam, & Americæ Meridionalis partes habitantium populorum lepram conſtituerunt. Calidus aer humores ſubtili & humida parte expoliat aucto ſudore & perſpiratione. Qui plus juſto acres & viſcidi facti fontem dare morbo poſſunt. Piſces, & carnes animalium ob ſummum calorem facile abeunt in putredinem, & harum regionum accolæ putridis animalium carnis delectantur. Siccitas & ſummus cæli ardor per novem menſes protractus efficit, ut quando decidant pluviæ hæ ſint admodum inſectorum ovis, & putridis particulis onuſtæ. Affatim bibunt has aquas populi illarum regionum, & ſanguinem venenatis particulis inficiunt. Olera, & vegetabilia ſcatent aromatibus & ſalinis particulis, & obſonia frequenter pipere, cinnamomo, charyophillo, alioque aromate inficiunt. Hos cibos ſanguinem acrem & veneno concipiendo opportunum parere poſſe facile inferri debet. Venus ipſa immodica evadit hiſce populis calidas habitantibus regiones,

&

& aromatibus multis abutentibus, per quam diſſipatis ſubtiolioribus oleum ſalia ac terra ſanguinis magis cohærent invicem, atque acria evadunt, efficiturque illa humorum diſpoſitio, quæ valet leproſo veneno fomitem, & incrementum exhibere. Huiuſmodi cauſæ, aut his ſimiles potuerunt morbum primo in Ægyptum generare, inde reliquis & Aſiæ, & Africæ, & Americæ, & Europæ regionibus, contagione intercedente (*y*), ipſum communicatum fuiſſe mor-

(y) *Philippus Ouſſelius* Medicus *Judæus* plurima affert Rabinorum veterum teſtimonia plurimaque rationum momenta, quibus probare nititur lepram numquam fuiſſe contagioſam. His rationibus reſpondit ſapienter Schillingius, firmiſque argumentis oſtendit lepræ contagionem. Credibile eſt Ouſſelium Judaicæ gentis hominem nimis fuiſſe præjudiciis, & obſtinatione correptum, atque Rabinorum vel imperitorum placitis, dictiſque nimis addictum, ex quo in errorem lapſum fuiſſe dicendum. Ejus errores, & futiles propoſitiones oſtendit confutatque Cl. Schillingius noſter in ſuis animadverſionibus adverſus Ouſſelianam

morbum tuto aſſerere poſſumus. In primo morbi adventu apud nos inſtituta fuere noſocomia publica, & loca, in quæ recondebantur leproſi, & quemadmodum ferebatur Divum Lazarum hoc morbo infectum fuiſſe, dixerunt hæc loca *Lazareta* ut in §. 12. dicebamus. In hæc loca ſervabantur ægri, ut quodammodo evitaretur contagium. Senſim ſenſimque morbus deſinere cæpit, & hodie apud nos eiuſdem parvum relictum eſt veſtigium.

Signa lepræ certiora. §. 16. Signa, quibus noſcendus morbus eſt ex ſupradictis colligere poteſtis adoleſcentes. Duo potiſſimum ſigna morbum conſtituere ſolunt ut patet & ex Schillingii dictis, & ex conſtanti lepra affectorum obſervatione, nempe macula ſive alba, ſive rubra, ſive ruſa, ſive alius coloris, & inſenſibilitas ſubpoſita maculæ, quam græci vocant *anæſtheſiam*. Hanc inſenſibi-

nam de Lepra diſſertationem. Lepram enim non modo contagioſam, ſed & a patre in filios tardoſque nepotes per generationem propagari cum Schillingio aſſerimus.

ſibilitatem negat Ouſſelius tamquam præcipuum lepræ ſymptoma, immo addit vivacitatem cutis majorem morbum propius deſignare ſolere. Ait enim (z) tria synptomata ſolere morbum definire, nempe *pilorum albedinem*, *diffuſionem*, *& vivacitatem cutis*. At quantum judaicæ ſtirpis homo medicus falſitati, & errori addictus tenaciſſime vana proferat patet & a lepræ vera æthyologia, & ab laudati Schillingii adverſus Ouſſelium animadverſionibus. Quod vero ſpectat ad cutis, & pilorum albedinem, licet non negamus aliquando maculam leproſam adparere poſſe albam, verum hoc non ſemper eſt lepræ ſignum characteriſticum, potiſſimum ſi deficit inſenſibilitas partis maculatæ. Maculam enim modo albam, modo rubro-nigram, modo violaceam, modo alius coloris eſſe poſſe viderat ſemper Schillingius, ſed pro lepræ exiſtentia neceſſario *anæſtheſia* requiritur, quæ primo intra ma-

N cu-

(z) In memorata de lepra cutis Hæbræorum diſſertatione p. 80.

culatam partem obſervatur. Inde diffuſas ſequitur maculas, & non raro per univerſam extenditur cutim. An & ipſa ſigna morbum Æthyopibus pariter familiarem, quèm vernacula lingua dicunt *yaws* definire valeant (*a*).

Prognoſticum lepræ. §. 17. Prognoſticum lepræ deſumi poteſt ab obſervatione cutis maculis, puſtulis, ulceribus, callis, aliiſque incommodis plus minus vexatæ. Hippocrates inter non lethales morbos lepram poſuit. Longæus morbus eſt, &

(a) Eſt morbus Æthyopiæ & Guineæ potiſſimum accolis familiaris, qui cutaneis maculis peculiaris naturæ ſe manifeſtat. Populis illius Regionis dicitur *yaws*. Pubis, inguinum, pudendarum partium utriuſque ſexus, faciei, hiſque ſimilium partium cuti adnaſcitur macula, quæ in ortu eſt parva, ſed tractu temporis ſenſim ſenſimque augetur, & in ſui medio elevata puntula habet. Convertitur tandem in puſtulam neque ſaniem, neque ichorem, neque pus, neque alium humorem continentem. Non una eſt macula, indeque facta puſtula, ſed plures ſunt invicem conjunctæ, & cohærentes puſtulæ, inter quas una,

& modo talis ferociæ obſervatur, ut morti proximum reddat ægrum, tamen mutato victu, & adhibitis medicamen-

---

una, alteraque reliquis grandior diſtinguitur, quæ dicitur *mater yaws*. In medio puſtularum eſchara furfuracea apparet, cui ſubiicitur exareſcentia fungoſa rubicunda modo fragam, modo moram referens. Quando morbus augetur, & veluti ſui perfectionem eſt adeptus, tunc pili circa maculas, & puſtulas exiſtentes albi & diaphani apparent. Hæ puſtulæ ut plurimum quandam obtinent maturationem & ſponte exiccantur, potiſſimum ſi debita tractantur curatione. Neque morbus, niſi in ulceribus phagedænicis commutatur, occidit. Hanc malignam degenerationem habet ſi dum naturæ commiſſus morbus eſt æger per multa vitæ errata ſæviorem reddit morbi indolem. Credit *Lorryus* in ſuo de morb. cutan. tract. *yaws* fuiſſe ab Nigritis in Americam translatum, & non raro littoribus Galliæ apparuiſſe, dum hæc loca petens aliis morbis inviſendis & curandis memoratum Æthyopiæ morbum vidit. Si eſt contagioſus, tamen ſemel in vita hominem adoritur. Homo enim *yaws* ſemel paſſus, licet inter millia hominum hoc morbo affectorum vivat,

tis, mutat ferociam & finit ægrum longævam vivere vitam. Aliquando orta vel ex levibus principiis lepra ſpatio

---

numquam iterum ipſum concipit. Non poteſt cum lue Gallica confundi, dum ſcimus hanc per contagionem iterum iterumque concipi poſſe, neque cum lepra commiſceri; nam nec crudelis, nec diuturna, nec tam univerſalis eſt, de qua nunc loquimur, affectio *yaws* dicta. Attendendum eſt ſedulo, ut quæ apparent maculæ cito erumpant. Huic obtinendo fini favent flores ſulphuris cum camphora copulati, & interne ſumpti. Pulveres carnium viperinarum huic ſcopo quoque conducunt. Hinc concinnari poſſunt pilulæ ex ſemidrachma florum ſulphuris, ex drachma pulveris ſupradicti, atque ex granis tribus gummi camphoræ. Quolibet mane propinari hæ poſſunt, quibus ſuperbibitur ligni guajaci decoctio. Erumpentibus bene puſtulis inſtituendus eſt uſus mercurii. Specificum plumerii cum pulvere ſarſæ parillæ copulatum per ſeſquimenſem & ultra protractum, accedente aqua antivenerea, morbum feliciter curare valere credimus. Dum hæc ſcribo reperitur in noſocomio meæ commiſſus curationi homo ſexaginarius, qui talem puſtularum conditionem in

tio unius anni ad tantam vehementiam ferocitatemque pervenit, ut hominem cito jugulare valeat. Id ſe pluries obſervaſſe teſtatur Schillingius. Infantibus

---

in facie gerit, ut re vera *yaws* diceres. Narrat ſe in juventute ſemel iterumque fuiſſe a lue correptum, ſed per convenientia remedia fuiſſe integre curatum. Per uſum ſpecifici plumerii, viperarum, aquæ Domini Mauritii, balneorum dulcium & rectam diæteticam in meliori ſtatu ſui morbi reperitur. Puſtulæ exiccatæ ſponte decidunt, & non diuturnam promittit morbus totalem curationem recipere, quemadmodum multi juvenes meæ viſitationi quotidie adſiſtentes cum ſumma animi admiratione vident. Neque dicatur illas eſſe puſtulas venereas, nam ſunt circa faciem, & collum hinc inde ſparſæ moram & fragam compreſſam æmulantes. Puntula ſunt acuminata miliaria, quæ undique implent puſtulas. Sunt ſenſu penitus expertes puſtulæ, & calloſæ. Quando decidunt reſtat cutis dealbata, & ſenſu prædita. Sunt ſicca, neque per quamcumque preſſionem ullam humoris guttulam effundunt. In medio puſtularum reperitur grandior reliquis, quæ dici quoque poſset *mater yaws*. Qui hæc ſpernit, aut non credit veniat & videat, quæ de hoc homine meæ commiſso curationi ſcribo.

ortis ab parentibus morbo fædatis leproſis eſt ſemper moriendum. Quando cum lue gallica coniungitur lepra peſſime homines afficit. Leproſi in frequentem, & vagam venerem ſatyriaſi affecti ruunt, ex quo ſiphylem facile concipere poſſunt. Et gemino veneno nempe gallico & leproſo coinquinati humores nullam admittere ſolent curationem. Si leproſo variolæ erumpunt, tunc ſupervenientem diarrhoeam ſequitur mors. Poſt ſanatas variolas magnas carnium maſſas præcipiti quadam putrefactione a corpore ſeceſſiſſe viderat quoque Schillingius. Morbus tædii plenus eſt, hinc difficile diuturnæ diæteticæ regulas æger ſervat, licet morbus temperatis ſymptomatibus ludit. Elephantiaſim incurabilem morbum eſſe unanimi ſenſu fatentur medici. Ut morbi curatio rite inſtituatur, animadvertendum perſpirationis cuſtodiam, veneni leproſi emendationem, atque fatiſcentium virium reſtaurationem a prudenti medico ea ratione eſſe moliendam, qua nempe conſtat hiſce indicationibus ſatisfacturos quandam tanti morbi curam obti-

Lepræ curatio deſcribitur.

tinuiſſe. Diligentia ſumma inſtituenda eſt, ut erumpens morbus cito cognoſcatur. Primis enim & debilibus fundamentis dum morbus ſubſtinetur facile everti poteſt. Adultiori facto, & radicitus corpori adhærenti vel nulla vel parva adhiberi ſolet medicina. Motus temperatus eſt inſtituendus modo pedeſtri itinere, modo curru & æquitatione factus, ut quo fieri poſſit foveatur perſpiratio. Somnus ſit cum vigilia bene temperatus, & ciborum ſelectiſſimorum uſus inſtituendus eſt. Carnium, oleorum, pinguiumque ſubſtantiarum uſus interdicendus eſt. Oleribus, fructibus horæis, panatellis, hiſque ſimilibus cibis alendus eſt æger. Animi pathemata fortiora, & potiſſimum mæſtitiam diuturnam evitet, & tamquam cane peius & angue quoque fugiat perſpirationis impedimentum oportet æger. Cui promovendæ, & emolliendæ cuti valet frequens tepidiuſculæ aquæ balneum, in quo bis, terue de die per horæ quadrantem immergendus eſt leproſus. Urina promoveri debet ea ratione, qua conſtat per auctam urinæ copiam

ſuppleri ſolet defectus perſpirationis; Hinc taraxici ſuccum cum terra foliata tartari ad drachmas duas propinari poteſt, cui ſuperbibi debet aqua per infuſionem virentis graminis, & cremoris tartari parata. Carnium viperarum diuturnus uſus inſtituendus, quo ſolo, vel omni ſuffragante antiquitate, lepram curatam eſſe fertur. Nec minoris utilitatis virtus expectanda eſt ex mercurio, potiſſimum ſi cum lue venerea lepra coniuncta ſit. Mercurius enim ſive per litum, ſive per internum uſum in corpore immiſſus valet ſummopere leproſi veneni lentorem diſſolvere, & aut tranſpirationis, aut urinæ vias aperiendo extra corpus ipſum expellit venenum. Cui ſi antimonium accedit, efficax pro debellanda lepra ſpeſpecificum paratur. Pilulæ concinnari poſſunt in hunc modum. Accipiatur drachma una carnis viperinæ, antimonii crudi & bene loti drachma ſemis, mercurii currentis grana viginti, & omnia extracto ligni ſancti excipiantur, ac formentur pilulæ, quibus ad plures menſes uti debet æger. Cum his copula-

lari poteſt aqua antivenerea ex lignis indianis parata. Neque diuturnum curationis tempus faſtidiat æger, nam ſibi perſuaſum eſſe debet morbum ſua natura incurabilem non poſſe, niſi diuturna efficacium medicamentorum virtute vingi, & debellari. Nonnulli laudant lacertarum uſum, quarum mox mactatarum & decorticatarum, (exceptis cauda, & capite) fruſtula quotidie manducari poſſunt. Hiſce addunt ſerum lactis cum acetoſella, naſturtio, cochlearia, beccabunca, dulcamara, & his ſimilibus antiſcorbuticis herbis deſtillatum, cujus mirabilis in curando ſcorbuto virtus ad illam lepræ curationem pariter extendunt. Sed & ſal volatile alcalinum ſolidum præparatum ex æquali portione florum ſalis ammoniaci, & calcis vivæ cum ſpiritu vini coniunctis efficax pro curando ſcorbuto ſpecificum pro lepra & elephantiaſi debellanda quoque arceſſunt. Neque inutile erit utrumque remedium, nempe lacertas, & ſal volatile alcalinum ſolidum copulare & debita doſi, nempe a granis ſex ad dracmam unam extende-

dere, hac ratione, ut obſtinatiſſimum, ac veluti incurabile malum per potentiſſimum remedium curetur. Oportet autem curationem incipere ab menſe aprili, & ad uſque ſeptembrim extendere. Et ſi primus annus non ſufficit ſecundo, & tertio quoque anno repetenda eſt memorata curationis ſpecies.

Specifica lepræ curatio affertur. §. 18. Hæc eſt tota curationis ſumma, quam adverſus lepram & elephantiatim, ſi qua datur vobis obſervare, inſtituere poteſtis, adoleſcentes. Quod ſi hiſce ne cedit quidem remediis et inoffenſo veluti pede progreditur ad ulteriora mala inferenda morbus alteram curationis ſpeciem, quam ab muliercula quadam Schillingius didicerat proponatis oportet. Dum itaque clariſſimus Auctor Surinam morabatur lepram endemicum illius regionis morbum ſedulo obſervaturus, vidit agyrtas, & mulierculas multas morbo publice mederi, ſed inter ipſas vidit unam, quæ multorum leproſorum uno in vico collectorum curam ſumma cum felicitate faciebat. Mothodus huius curationis eſt ſquens. Dabatur in primis ca-

catharticum draſticum ex gummi guttæ gamba paratum, quodque bis in hebdomada repetebatur. Poſt fortiter purgatum corpus potandum exhibebatur decoctum ex ligno & radice cuiuſdam fruticis parato, quem patrio ſermone vocant *Tondin (b)*. Huius frutici ligni & radicis aliquot libras ſumebat Africana illa mulier & cum magna aquæ copia in aenheo vaſe repoſita eas per tres horas, vaſe rite clauſo, coquebat. Huius decocti tres libras calidas quotidie ſingulis ægris nempe alteram ſummo mane, alteram ante meridiem, tertiam circa veſperam propinabat.

(b) Hujus fruticis nulla apud hiſtoriæ naturalis ſcriptores mentio occurrit. Sed ex Schillingii relatione ſcimus *Tondin* folia ulmo perſimilia habere. Lignum & radix magna donantur tenacitate. Cortex extus niger eſt, intus ex rubro albicat. Paſſim in paludibus, & uliginoſis locis, quæ ſunt circa Urbem *Parambaribo* in Surinamenſi colonia ſitam reperitur. Odor ligni & radicis reſinoſus, ſapor amarus & adſtringens eſt. Hæc narrat Schillingius in laudato opere p. 59.

bat. Poſt hoc factum jubebat, ut corpus vel ambulando, vel cuidam operi incumbendo pro ſudore promovendo, moveretur. Poſt motum factum totum corpus abluebat calido decocto ex foliis eiuſdem fruticis parato, inde ſtragulis bene obvolutum cogebat per horæ ſpatium ſudare. Sedato abſterſoque ſudore inungebat corpus unguento, quod ſequenti modo parabatur. *Cuſcutæ* eſt ſpecies in tota Surinamenſi regione, quæ ſuis ſarmentis multas arbores, & præcipue aurantias, citros, & limones mirum in modum obveſtit, atque cooperit. Cuſcutæ opportuno tempore magnam copiam colligit vafra illa mulier, & ſarmenta ac flores fructuſque ſumit. Hæc omnia in magna aquæ copia digerit per tres quatuorque integros dies. Materies incipit fermentare, & ſpirare fætidum odorem, quem ubi femina odorat maceratam cuſcutam ex aqua accipit, & in pila ignea admixto jugiter limoniorum ſucco contundit uſque dum in pulticulam craſſo atramento ſimilem fatiſcat. Hoc eſt mirabile archanum unguentum, quo leproſas maculas, nodos

dos & tubercula elephantiaca quotidie inungit. Hac inunctione, illis decoctionibus ad uſque totalem macularum, puſtularum, & tuberculorum exiccationem aſſidue utebatur muliercula. Si unguentum exiccabatur ſucco limoniorum adſperſo iterum molle faciebat. Quando novo ſenſu cutim præditam obſervabat, tunc ægros perfecte ſanatos dimittebat. Hæc cura trium, vel quatuor menſium ſpatio abſolvebatur. De huius curationis præſtantia audiamus quid nobis teſtatur Schillingius. *Vidi certe plures leproſas hoc modo ſanatos, ſic ut nullum morbi veſtigium in externo corporis habitu amplius ſupereſſet, & quamquam in non nullis obſervaverim maculas cruſtaſque revertiſſe, ideo tamen huic methodo nil detractum velim, ſed prorſus perſuaſum habeo, eam præſtantiſſimam, tutiſſimamque fore, dummodo regulæ diæteticæ, quas liberta vel ignorat vel negligit ſic ut par eſt, obſerventur.* (c).

Æthy-

(c) Verba ſunt Cl. vir. p.61.

Æthyopes quoque plalanta quadam pro curanda lepra utuntur magna cum felicitate. Dicunt *viſcum ſurinamenſe*. Huius magnam colligunt opportuno in tempore copiam, & aqua coquunt, ipſamque multam copioſamque decoctionem ægris concedunt. Schillingius ipſe noſter quemadmodum Tondin, & cuſcutæ, ita viſci ſurinamenſis iconem affert. (*d*)

AR-

(d) Ne credatis adoleſcentes cum vulgo lepram de qua rite complendis inſtitutionibus inſervituri ſermonem habuimus, morbum ita rarum & inviſum eſse, ut pene relictum vobis ſit ſolam apud ſcriptores notitiam ejus habere, dum nulla in praxi obſervatio occurrat. Morbus Aſiæ & Africæ populis familiaris medicis Europæis pene inviſus non relictus eſt. Nam Schillingius ab Surinamenſi regione redux per Gallias, & per Italiam undique diſperſam lepram vidit, & multas leproſorum hominum in Italiam commorantium hiſtorias refert. Nos multos referre caſus poſſemus, quibus oſtendi poſſit lepram non eſſe tam inviſum medicis Italicis morbum. Sed inter omnes valet unus. Vir quadragenario major

ab

ARTICULUS IV.

Seabies.

§. 19. EXiguæ poſtulæ lentis aut grani minii magnitudinem æquantes inſigniter prurientes, manus potiſſimum indeque excepta facie, totam *Quid ſcabies*.

---

ab oppido ſuburbano veniens petiit Incurabilium noſocomium quærens conſilium meum. Temperamento gaudebat cholerico, & corporis ſtaturam habebat mediocrem, ac debita pinguedine, bona firmaque carne oſſa operiebantur. Coloris faciei erat ſano ſimilis. Habebat maculam fuſci coloris circa inguen dexterum ſitam. Erat macula magnitudinis volæ manus. Narrabat mihi illam maculam fuiſſe per unius anni ſpatium ad tantam magnitudinem perductam, dum primo apparens æquabat unguis magnitudinem. Subjungebat ſe ab illa macula nullum malum accepiſſe, neque medicamentum ſumpſiſſe, niſi magnus ſubeſſet timor matrem, & fratrem natu majorem ab adparentibus in aliis corporis partibus illis maculis talem deveniſſe malum, ut tandem mortui ſint. Dum in maculam ſedulo

tam cutim infeſtantes contagioſæ non raro homines vexare ſolent. Dicitur *Scabies*. Vulgo creditur huius morbi duas,

---

lo inquirebam percepi nullum adeſſe doloris, ſenſum licet non levi punctura partem tractarem, & color pili non erat ſimilis illi totius corporis. Totius corporis pili erant nigri, macula vero pilos habebat coloris nigro-albi. Dixi morbum eſſe lepram, & eo vel magis id a me adſerebatur, quoniam ſcilicet diligenter mihi petituro notas mali ex quo & mater & frater natu major moriebatur, haud ſpernendi judicii de lepra conjecturæ occurrebant. Non potui ſuadere ægrum, ut faceret in noſocomio domicilium a nobis adſiſtentibus magni imminentis mali convenientia remedia accepturus. Rediit in patriam poſtquam a nobis conſilium medicum accepit. Poſt annum iterum Neapolim venit, & me in domo quæſivit. Vidi virum, & recordatus ſum de illa macula circa inguen ſuperiori anno ſita. Sed erat admodum ab illa diverſa. Nam totas inferiores articulationes macula occupabat. Ab dextero inguine in ſiniſtrum macula tranſit; & ab inguinibus per totas articulationes divagata eſt. Immo erat articulationum cutis calloſa, & in rimas elevata,

duas eſſe ſpecies, quarum altera eſt *hu-mida*, altera eſt *ſicca*. Humidæ ſcabiei notæ deſumuntur a conditione puſtula-
O rum,

---

ta, nec ullo ſenſu gaudebat. Pili penitus albi erant. Et quodam ſtupore in motu articulationis quoque querebatur æger. Et jam apparebant lepræ immo potius elephantiaſis notæ manifeſtæ. Morbus periculi, & ſummi tædii plenus, meæ ſollicitationes virum agricultorem coegerunt, ut in noſtro noſocomio reciperetur, meæque curationi committeretur. Adhibui præ primis homini lepram per generationem habenti catharticum ex pulvere ſarſæ ſolutivæ, & mercurio dulci parato; idque repetendum curavi. Ab his catharticis alvus commode ſoluta eſt. Inde inſtitui ſeri lactis depuratiſsimi cum ſarſæ decoctione copulati, viperarum, & balneorum frigidiusculorum uſum, rectamque victus rationem præcepi. Poſt menſem hujus curationis æger nullum ſenſibile levamen percepit, licet morbus nullam in pejus mutationem feciſſet, & ſummo tædio affectus voluit ab noſocomio diſcedere, quod eo vel magis effecit, quia prope erat æſtas, (hæc accidebant Aprilis, & Maj menſis tempore anni 1778.), & agriculus homo ab terra colligere debebat ſui laboris mer-

rum, quæ ſunt acri plenæ ſero elevatæ & agminatim ſparſæ importuno pruritu moleſtæ. Interſtitia digitorum occupant, & non raro cum manibus digitos tumere faciunt. Induſia & linteamina frequenter viſcido ſordeſcunt humore. In ſicca vero ſcabie puſtulæ aut nil, aut parum elevantur; & grano milii æquales ſunt denſæ, rubicundæ, dolentes. Quando per ſcalpturam rumpuntur aut parvum, aut nullum effundunt humorem. Quando ſunt juſto copioſiores, & minutæ pruritumque ſummum

---

mercedem. At vano prorſus conſilio diſceſſit. Nam licet, quæ a me inſtituebantur in propria domo efficere potuiſſet, attamen tranſpirationis cuſtodiam, quæ ſumma in curando hoc morbo eſſe debebat, & diæteticæ regulas, quæ diligenti ratione ſervandæ erant, minime tueri debebat. Ita enim res accidit. Nimirum per memorata vitæ errata vivens, & nulli curationi addictus ita morbus per univerſam cutim propagatus eſt, ut veluti in phagedænicum generale ulcus degenerans, febri oborta lenta, poſt tres ab incæpto morbo annos, ægrum miſerrime jugularet.

mum pariunt potiſſimum ſub cubitum, tunc moleſtior eſt ſcabies, quæ quoque vocatur *canina*, eaque curatu eſt difficilior. Neque Scabies cum ſimplici pruritu confundi debet. Nam in hoc affectu nullis puſtulis fædatur cutis, neque ipſa facies, a pruritu immunis extat. Differt a lepra, in qua per puſtulas cruſtoſas, & verrucoſas tumere ſolet cutis. Neque tantum, quantum lepra involuit periculum vitæ, ſcabies habet, immo non raro datur obſervare critica, & ſalutaris ſcabies, a cuius adparitione depuratur ſanguis quodam miaſmate infectus. Hinc recte dum ſcabiei cauſas practici recognoſcunt diſtinguunt illam, quæ a contagio derivat ab ea, quæ venit per ſimplicem ſanguinis labem. Quando per contagium fit ſcabies, ut plurimum morbus derivat a data inſectorum conditione ab infecto in ſanum corpus tranſeuntium. Quando fit ab ſanguinis labe, ea haud raro talis conditionis eſſe ſolet, qua per cutaneam efflorefcentiam indicatur aut ſcorbutici, aut gallici, aut putredinoſi, aut alius naturæ veneni ferocia, & do-

minatione circulantes humores obſideri. Neque medicus, niſi unam ab altera diſtinguat ſcabie, morbi rectam curationem moliri poteſt. In hæc ſedulo inſpiciatis oro, adoleſcentes, praxim medicam exercitaturi. Quando ſcabies ab infecto ſanguine derivat nullam involuit contagii ſuſpicionem. Et quamquam fateatur non penitus arceri poſſe occaſiones omnes, quibus per contagium morbus ſuſcipi ſolet, attamen non penitus conſtat ſuſcepti contagii occaſio. Puſtulæ minutæ, & rubicundæ ſunt univerſam cutim infeſtantes, & ut plurimum circa pectus, & abdomen, & collum copioſiores obſervantur. In digitorum interſtitia aut nullæ, aut admodum raræ obſervantur puſtulæ minutiſſimæ aciculam æmulantes, & patentem ſanguinis infectionem ſequuntur. Nuper vidi puerum annorum decem, qui ab generatione ſummam ſuſcepit ſanguinis infectionem, oriebatur enim a patre ſcorbutica labe fædato, per quam frequenter in febrim incidit. Hæc febris pene ſemper trigeſimum & quadrageſimum diem excedit quodammodo

in

in putridam indolem vergens. Ab ineunte ætate ad hunc uſque diem quolibet anno modo tres, modo quatuor huiuſmodi febres paſſus eſt. Accedit ad uſque vitæ terminum, & ſemper liberatur. Dum hæc ſcribo, jam hujus febris tyrannidem experitur puer. Currit nunc 25 dies & conſtanter a morbo vexatur. Hic Aprili menſe currentis anni coopertus fuit ſcabie, quam ſimplici intuitu inſpiciens quiſque veſtrum tuto adſerere debuiſſet eam fuiſſe contagioſam. Erant enim puſtulæ parvæ, rubicundæ undique pectus & collum potiſſimum invadentes, pruriginoſæ. Cubitum dum ſubiebat puer intollerandum pruritum ſentiebat. At rem ſedulo mihi meditanti ſubſit conſtans ſuſpicio ſcabiem fuiſſe ab ſanguine infecto productam, neque eam niſi depurantibus, & refrigerantibus remediis fore vincendam firmiter ſtatuebam. Hæc remedia fuerunt adhibita, & a ſcabie poſt 15 dies puer immunis evaſit. Nam dum inſpiciebam ſedulo in memoratas puſtulas, videbam agmen puntulorum rubrorum miliarium, quæ erant circa

anteriorem, & poſteriorem pectoris partem potiſſimum & circa nates agminatim poſita parvum continentia acrem liquorem. Statim diſſipataa ſunt per uſum ſirupi ſarſæ parillæ, & carnium viperarum, nec non ſeri lactis depuratiſſimi cum aqua fumariæ copulati. Neque credatis, adoleſcentes, ægrorum meorum in incurabilium noſocomio jacentium viſitationi aſſiſtentes ſcabiem illam, quam phthiſicos ut plurimum corripere obſervatis, eſſe per infectionem conceptam. Ea quidem derivat ab ea ſanguinis labe, qua efficitur, ut per tabum purulentum, ortis continuis febribus, diſſipatiſq. fluidioribus, craſſiora ſanguinis elementa acriora facta cutim adoriantur ſub ſpecie ſcabiei ſummum excitantia pruritum. Puſtulæ, quæ nunc apparent ſunt minutæ, aridæ, fuſci coloris, & ne faciei parcere quidem ſolent. Raro hujuſmodi puſtulas criticas vidi. Ut plurimum ex ſumma ſanguinis defædatione ortæ vitæ phthiſicorum terminum prænuntiant.

Scabiei ab inſectis productæ aptior fit mentio.

§. 20. Ut autem in ſcabiem ab inſe-

ſectis factam ſedulo inquiramus, animadvertendum nonnullos haud infimi ſubſellii medicos putaſſe inſecta illa non eſſe veram ſcabiei cauſam, ſed eſſe facta, & generata in cavo puſtularum antea excitatarum. In has caveas ovula inſectorum (e) facile venire, nidifi-

(e) De vermiculis viventibus ſcabiei cauſam conſtituentibus veterum, & recentiorum uno tantum excepto Helmontio, conſtans fuit opinio. Ante Redium credebatur hos vermes ex putredine gigni. Sennertus, Ballonius, Etmullerus, Borellus, Valſchius, Langius, aliique id ipſum teſtati ſunt. Redius vero firmis probat argumentis vermes hoſce ex ovo gigni debere. Horum exiſtentiam, figuram, & modum, quo ſcabiem faciunt expendit in Tom.1. p. 120. Et id ipſum colligitur ex epiſtola, quem ei miſit Joannes Coſimus Bonomo. Valisnerius in eandem venit ſententiam. Carolus Linnæus Syſtem. Natur. T. 1. p. 40 hæc inſecta vocat *acaros ſcabiei*, quorum figuram, magnitudinem, omneque id, quod ad hiſtoriam naturalem pertinet, diligenter deſcribit. Incomparabilis Morgagnus ex Langio hos vermes appellatos fuiſſe *Syrones*, ait, *qui ſubter cu-*

care, & vivere, & multiplicari credunt. Inter hos meretur recenſeri clariſs. Schillingius. At non video cur hu-

---

cutim, & ad manus & crura ſerpunt: puſtulas quoque aqua plenas ſub cute, ubi deliteſcunt, excitant, qua diſſecta prorepunt animalcula tam parva, ut vix viſu, quamvis perſpicaci ægre deprehendi poſſunt. Cum autem ipſe Cl. Auctor medicinam faceret nobili matronæ ab difficile & longo morbo convaleſcenti, cui inter alias criſes ſcabies orta ſit, & pro moleſtiſſimo pruritu dormire non poterat, tandem hæc ſubjungit. *Cunn veſiculas in iis cernerem minutas aquæ plenas, cujusmodi eæ ſolent eſſe, in quibus iſta animalcula nidulantur, ancillas juſſi earum unam, aut alteram acicula aperire in præclara luce, & ſi quid globoſi expreſſa aqua, educere poſſent, mihi oſtendere exquiſitis, quæ forte in promptu erant vitris inſtructo oculo, examinaturo. Quid quæris? oblatum examinare diutius non opus fuit. Vivens erat animalculum ea ipſa forma, quam recentiores delineaverunt*. Verba ſunt cl. Morgagni in lib. IV. de morb. chirurgic. univerſal. epiſtol. Anatomicomed. 55. Artic. 7. n. 7. p. 335. An & hujuſmodi inſecta in glandulas cutis ſebaceas ingrediantur? An vivant in ſeba-

hujuſmodi inſecta ſemper reperiantur in illa puſtularum conditione, & in nulla alia puſtularum ſpecie. Et quamquam cu-

---

bacco illo humore, & ita multiplicantur? An eorum vita pendeat ab illa ſuctione humoris naturæ ipſorum convenientis? Quid eſt diverſum ab illis inſectis, quæ in cute nidulare ſolent, efficiuntque morbum illum, quem vocant *phthiriaſim*? Nos, quemadmodum de memoratis quæſtionibus nil certi adfirmare audemus, ita dicimus in cute vivere, & proprio humore ali acaros ſcabiei, & inſecta, quæ vulgo vocantur *pediculi*. Horum multitudine, & infinita veluti multiplicatione fædiſſimus ille morbus conſtituitur, in quo tamquam e propriis carnibus manant infiniti pediculi, quorum ovula ſepulta ſunt intra poros, & fiſſuras cutis, e quibus prodeunt illa inſecta. Et quamvis verum ſit hujuſmodi morbum derivare ab ſorditie, & fæditate cutis, quam tenere ſolent infimæ ſortis homines, attamen non negamus nobiles & divites, quorum cutis mundiſſima eſt, phthiriaſi eſſe ſubjectos. Hujuſmodi enim malum derivare poteſt a dato humorum vitio fovendis, alendiſque pediculorum ovulis opportuno. Sic obſervamus, vigente quadam febre, in calvariæ cute,

cutis puſtulis magnis, & ichore multo plenis, nec non ulceribus fædiſſimis aliquando repleatur, & in his puſtulis ovu-

---

cute, & in toto corpore apparere maximam pediculorum quantitatem, quam nulla adhibita diligentia extinguere poteſt, & ſponte, finiente febri, decidit. Novi pluribus ab hinc annis Epiſcopum octuagenario majorem, qui pluries de die induſia, & linteamina mutabat, & ſemper pediculis fædata demittebat. E ſuis enim carnibus tanta pediculorum quantitas quotidie educebatur, ut cuicumque hæc inſpicienti fuerit admirationi. Laborabat cachexia, & acri ſanguinis diatheſi, cui lenta acceſſit febris, & mortuus eſt. Quadraginta, aut quinquaginta ante obitum dies fædiſſimo hoc morbo vexatus fuit. Hiſtoriæ referunt multos homines divites, & Principes, & Philoſophos phthiriaſi laborare, & in hac affectione mortuos eſſe. Moleſtiſſimus eſt morbus, cum pediculi morſibus ſuis irritent nervos cutis, & ſummum excitent pruritum. Sic *morpiones*, ſive *platulæ*, vel *pattæ* coacervatim pilos pubis, ſupercilia, & calvariam invadentes non raro moleſtiſſimam, & tædii plenam pariunt affectionem. Sive platulæ, ſive pediculi ſint in cute ſepulti, certum eſt ex eorum morſibus

ovula inſectorum recipi, & nidificare poſſint, attamen numquam inſecta obſervantur, & tantum in ea ſcabie viden-

---

bus derivare affluxum humorum ad cutim ipſam, fierique puſtulas, vel veſiculas ichore plenas, intra quas multa ipſorum inſectorum quantitas ſepeliri poteſt. Et non raro accidit, ut venereis, aut ſcorbuticis puſtulis accedant eorundem inſectorum ovula, e quibus prodeunt inſecta totam puſtularum ſuperficiem infeſtantia. Quando per vitium humorum fit phthiriaſis, corrigenda, & emendanda ſunt fluida corporis univerſalia, & peculiari cutis vitio aut decoctio fortis nicotianæ, aut aqua calcis vivæ adhibenda eſt. Ablata enim, & mundata optime cuti per memoratas aquas, certe interficiuntur inſecta, & eorum ovula diſperduntur. Nonnulli laudant ablutionem aceti, in quo ſulutum ſit aloe. Ego commendare ſoleo aquam maris, in quam immergendum pluries ægrum phthiriaſi correptum jubeo. Et ſi platulæ infeſtant, poſt factam novacula depilationem, pluries aquam calcis cum addita quadam ſalis ammoniaci portione & pubi, & calvariæ, & axillis admovendam ſuadeo. Ceterum linteaminum, & induſiorum politura, & cuſtodia, & renovatio diligenter facienda eſt.

dentur, quæ per contagium recipitur & ex ſola ipſorum inſectorum cuti applicatorum irritatione, morſuque efficitur. Per morſum & irritationem advocatur in cutim humorum effluxus, unde puſtulæ ichore multo ſcatent, & ex eodem morſu pruritus ille ſummus excitatur, quem ægri vix tolerare poſſunt. Superiori menſe nutrix ſcabioſa infanti ſcabiem communicavit. Fuit morbus diu in domo latens, & quamquam infans obſervabatur multiſſimis puſtulis coopertus, attamen de ſcabie nulla ſubſit ſuſpicio. Hoc effecit, ut tota nobiliſſimæ familiæ domus inficeretur. Mihi rem videnti & contemplanti animus certus primo fuit morbum eſſe ſcabiem, quam vulgo vocant *ſiccam*, eamque non niſi per unctionem ſulphuris fore debellandam. Dici non poteſt quanto pruritu, & moleſtia omnes nobiliſſimæ memoratæ familiæ gentes affectæ ſint. Generalis unctio facta eſt unguenti ſcabiei, & integre omnes ſanati ſunt. Quando hujus ſcabiei puſtulæ ſero acri replentur cum cuticula poſt longum tempus poſsunt

quo-

quoque cutim rodere, unde quo moleſtior, eo diuturnior fit ſcabies. Et ſi aut ad ignem accedunt, aut ſolis calori ſe exponunt, aut cubitum ſubeunt ægrotantes moleſtiorem ſentiunt pruritum. Id pendet ex eo; quia per memoratum calorem expanduntur acres, & irritantes humores, fitque ita major papillarum cutis irritatio, & augetur pruritus, per quem inſomnes noctes ægri aliquando ducunt.

§. 21. Scabiei curatio abſolvenda eſt per ea remedia, quæ valent inſectorum cutim infeſtantium næcem facere. Quantum valere poſſunt remedia interno uſu propinata ſanguinem depurantia, quiſque veſtrum videre poteſt. Topica remedia ea ratione tantum adhibenda ſunt, quoniam ſcilicet, per ea remedia, interfectis vermiculis, tollitur moleſtia illa, quam cutis per morſus eorundem neceſſario ſentire debet. Quapropter ex ſulphure & oleo olivarum concinnari poteſt unguentum, quod tamquam ſpecificum hujuſmodi ſcabiei habetur. Venenum contra acaros ſcabiei potentiſſimum ſulphur eſſe ad oculum oſten- *Curatio ſcabiei.*

oſtendit quotidiana obſervatio. Et ſi loco olei inſulſum butyrum violarum aut menthæ, aut charyophilli ſucco infectum ſupplere vobis placet, opportunum parare poteſtis adverſus ſcabiem unguentum. Unctio facienda eſt tribus, quatuor, vel pluribus vicibus circa manus axillas, & retro genu ad uſque pedes. Ab his unctionibus in loco calido inſtitutis in lecto tranſitus faciendus eſt. Dum unctiones fiunt neque linteamina, neque indufia, neque veſtimenta renovari debent. Abſolutis unctionibus, & exiccatis, abſterſiſque puſtulis, horum omnium renovatio eſt facienda. Immo convenit ad procurandam optimam cutis depurationem in balneo aquæ piſciarelli ſemel, iterum, tertio ægrum immergere, inde novis induſiis, & veſtibus operire. Defectum huius poteſt aqua calcis vivæ ſupplere, cujus data portio in multa aquæ fontis quantitate immitti debet, & in hujuſmodi aqua paratum balneum immergi æger poteſt.

Scaliei curatio ſequitur. §. 22. Laudant nonnulli decoctum hellebori nigri, in quo datam quanti-

ta-

ratem ſalis ammoniaci diſſolvunt, & hoc decocto abluunt totam ſcabioſi cutim, cujus vim curando morbo multum valere adſerunt, & unguento ſulphuris anteponunt. Saltem, ajunt, hoc remedio, ſi pari modo curatur ſcabies, evitari ſolet ille ſummus fætor, quem ſulphur parit. Quidam eodem ſenſu aquam calcis, ſale ammoniaco ſaturatam adhibent, & ſcabiem curant. Cl. Sumeire commendat radicem *dentellariæ* (Plumbugo Erropæa foliis amplexicaulibus, langeolatis, ſcabris Linnæi), quarum radicum data quantitas in mortario contundenda eſt, inde ſuperaffuſo oleo olivarum ebulliente, & poſt factam agitationem percolatio per pannum lineum inſtitui debet. Hoc remedio abſque ulla præparatione feliciter curari ſcabiem fertur (*f*). At quantum laudis hujuſmodi ſpecificum mereri poteſt nos non relinquimus veterem methodum ab ſulphure, & oleo oli-

---

(f) Societ. Real. Medic. p.162.

olivarum paratam, qua tutiſſime ſcabiei medetur. Quotidie noſtræ praxi occurrunt huſmodi morbo affecti, & hac tutiſſima methodo brevi curantur. Neque denegamus poſſe aliquando poſt factam ſulphuris unctionem, ſcabiem redire, ſed, id ſi accidit, tanta cum moderatione & ſimplicitate redit, ut neque contagioſa amplius ſit, neque multis ægeat, ut curetur, remediis. Si iterum unctio inſtitui nequit, flores ſulphuris cum pulvere viperarum copulati interne ſumpti, cum addito ſero lactis, aut aqua antivenerea curam morbi adimplere poſſunt. Id eo vel maxime convenit, quando ſcilicet fovetur morbus ab interno humorum vitio. Dari poteſt hic caſus, ſcilicet, erumpentibus puſtulis propter vitium humorum accedunt acari ſcabiei, ſcilicet contagioſa ſcabies additur illi, quæ per vitium humorum jam erupit. Hoc in caſu, niſi adminiſtratur interior cura humores omnes depurans, non curatur ſcabies. Ceterum omnia remedia, quæ depurare, & corrigere ſolent ſanguinem impuritatibus fædatum, a quo produ-

ci-

citur ſcabies, convenire debent. Neque huiusmodi ſcabies cito erumpens ungenda eſt unguento ſulphuris, (hac enim methodo tractari debet illa, quæ per contagium concipitur, ſcilicet erumpentibus puſtulis ſtatim unctio adhibenda eſt. Nam quo diu inſecta habitant intra cutim, eo ſævior evadit morbus), quia retropulſis puſtulis, aut impedita ſanguinis trans-vias cutaneas depuratione, gravia incommoda ſequuntur, & non raro ob decubitum in quandam magni uſus partem veneni ſcabioſi ægri vita periclitatur. Florum ſulphuris, viperarum, aquarum antivenerearum, ſeri lactis, radicis cichoræ, taraxici, eupatoriæ, acetoſellæ, cochleariæ, naſturtii, aliarumque plantarum antiſcorbuticarum uſus laudandus eſt. Victus ratio ex oleribus, fructibuſque horæis ſeligi debet, & annuente tempeſtate aquæ thermales, & balinea dulcia frigidiuſcula conveniunt. Quod ſi hiſce non cedit remediis, tunc inſtituenda eſt unctio ex ſulpure & oleo olivarum, & poſt depuratum ſanguinem, unctioni abſque dubio

cedit morbus. Quando venereæ ſuſpicionis adeſt occaſio, quæ aut ab data venerei veneni recenti infectione, aut a data ſanguinis confirmata lue venerea fædati conditione, aut ab his ſimilibus deſumi poteſt, tunc mercurio uti oportet. Hoc remedium aut per litum, aut per internum uſum adhiberi poteſt. Vidi frequenter in praxi ſpecificum Plumerii, aut mercurium vivum cum floribus ſulphuris & pulvere antimonii copulatum obſtinatiſſimas ſcabies venereas feliciter curare. Et unctio memorati unguenti ſulphurei penitus non eſt abiicienda. Ipſam quoque profuiſſe in venerea ſcabie docet obſervatio.

ARTICULUS V.

Venerea impedimenta, & utriuſque ſexus Sterilitas.

Quibus ex cauſis fiunt in viris venerea impedimenta.

§. 22. QUæ hoc articulo continentur præſentium lectionum de morbis venereis, & de ſcorbuto perfectioni, ſi qua datur adſequendæ inſervitura, appendicis loco enar-

narrabimus. Homo a tempore pubertatis ad uſque pene ſexageſimum annum quando cum muliere in iuvenili ætate conſtituta rem habet, ut plurimam eam fæcundam reddit. Verum & in viro, & in muliere talia dari poſſunt impedimenta, quæ aut veneris exerticitium impediunt, aut dato hujuſmodi exercitio tale vitium extat in pudendis, ut nulla fæcundatio faciat. Vitia in viro ad inſtrumenti generationis datam conditionem pertinentia ea ſunt, ut aut in vaginam penem immittere non permittant, aut immiſſi penis intra vas opus abſolvere perfectum non patiantur. Quando penis nimis ſenſilis eſt, ut ante intra vaginam ingreſsum ſemen ejaculet, tunc mulier fæcundari nequit. Quando cavernoſa & urethræ, & penis corpora inſtante venereo æſtu turgeſcunt, dum flaccida glans evadit, certe nullus intra muliebria ingreſſus eſt. Hoc phænomenon pluries obſervavit Cl. Morgagnus, quemadmodum refert (g).

 Sed

(g) In Epiſtola Anatomicomedica 56., in qua

Sed & urethræ ductus ita vitiari poteſt, ut ad glandem ſemicanalis inſtar aperiri videatur, a quo juxta ſeminis effuſio impeditur, tunc ſterilitas fieri poteſt, quemadmodum teſtatur Ruyſchius (*h*) & Morgagnus (*i*). Quod ſi intra medium glandis orificium urethra non aperitur, ſed hiat ſub termino inferiori glandis, quo ingreſsui in muliebria penis, & ſeminis ejaculationi rectiori, & vivaciori obſtaculum exhibetur, certe fæcundationi præpeditur. At poſsunt multæ cauſsæ penis erectionem impedire. Si veſiculæ ſeminales callo obdureſcunt, certe nullum pruriginis venereæ ſenſum experiri, ut inde penis erigatur, poſsunt. Quod ſi aliquo tumore vicino comprimuntur, certe nullum ſemen ob anguſtatum earum cavum reci-

qua hujus glandis vitium a mala urethræ conformatione derivare contendit, qua minus expedite e bulbo urethræ ad glandem ſanguinem fluere credit.

(h) Muſ. Anatom. Depoſ. I. n. I.

(i) Ibid. n. 8.

cipiunt. Si flaccidi, excarnes, inſenſileſque ſunt teſtes & epidydymi, e quibus nullum ſaltem vivax & ſpirituoſum ſemen & generatur & perficitur, deficit porro generationis materia, & cauſsa princeps, qua penis erigitur. Sed dari quoque poſsunt intra vaſa ſpermatica, & deferentia obſtructiones, quibus impeditur liberus intra teſtes ſanguinis deſcenſus, & liberus intra veſiculas ſeminales ſpermatis adventus. Huiuſmodi obſtructionum caſus haud rari in praxi obſervantur. Verum recenſetur a practicis nervorum ſtupor tamquam frequentior cauſa, qua & ceſſat penis erectio, & coniugio præpeditur (*k*). Hu-

 ius-

(k) Notum vobis eſt ex phyſiologicis, adoleſcentes, nervorum imperio dirigi intra pudendas partes virorum illam motionem, qua aut per lubricam veneream ideam, aut per aſpectum mulieris potiſſimum amatæ concipit anima. Sic erigitur penis, qua erectione veneris officia perfecte adimplentur. Et ille voluptatis ſenſus, quem ex levi pudendarum partium frictione homo ſetit ab eadem nervo-

iuſmodi nervorum ſive ſtupor, ſive paralyſis ex multis accidere poteſt cauſſis, quemadmodum quotidiana docet obſervatio.

§. 24.

---

vorum vivacitate dependet. Quod ſi aut per phyſicam, aut per moralem cauſam hebes evadit memoratorum nervorum actio, certe penis non erigitur, nec venus exerceri poteſt. Quando aut impotentia eſt realis, aut eſt imaginaria, ſcilicet quando homo in nervorum penem ſubeuntium peralyſim lapſus eſt, tunc ab accedente imagine venerea penis non erigitur, & nulla actio venerea accidere poteſt. Id ipſum fit ſi hujuſmodi impotentia eſt imaginaria, ſcilicet ſi homo reapſe ſibi credit impotentem ad venerem eſſe. Hoc ex faſcino factum eſſe putat aliquando. Sed & datur relativa quoque impotentia, quando ſcilicet eroſæ feminæ adſpectum reſpicit, ad quam & obtinendam & coeundam nullo incitatur venereo æſtu, nullamque obtinet penis erectionem. Et nos quemadmodum admittimus relativam impotentiam, ita reiicimus ridiculam illam ex faſcino factam affectionem, qua vulgares potiſſimum homines corripiuntur. Hujuſmodi impotentiæ *relativæ* & non *abſolutæ*, & ut dicunt *antecedentis* impotentiæ exem-

§. 24. Ad vitia vero mulierum, quod pertinet, minime huc repetimus quæ alibi (*l*) memoravimus. Nonnulla tantum attingimus. Frequentem eſſe nonnullarum feminarum imperforationem notum ex anatomica obſervatione eſt. Huiuſmodi imperforationis cauſam & ſumma vaginæ anguſtia, & magna pellicula orificio vaginæ adnexa facere ſolet. Quando ope inſtrumenti ſecantis & aperientis panditur via tranſituro peni, poteſt generatio fieri. Verum ſi huiuſmodi imperforatio pendet e defectu *Quænam ſunt in mulieribus venerea impedimenta.*

exempla paſſim in medicina occurrunt. Licet aliquando datur impotentia ipſamet abſoluta quæ & a nervorum paralyſi, & a vitiato partium omnium generationi inſervientium ſtatu dependet. Utraque juxta Canonum præcepta matrimonium ſolvit, ſed hac conditione, ut per impotentiam relativam ſolutum matrimonium efficit, ut homo aliam ſibi cariſſimam uxorem ducere poſſit; per impotentiam abſolutam penitus matrimonio valedicere debet. In hæc ſedulo incumbite, adoleſcentes, ante Magiſtratum hac de re judicium veſtrum proferentes.

(l.) In libro de morbis mulierum & puerorum.

totali vaginæ, & uteri, nullo modo huiuſmodi vitium corrigi poteſt. Viderat enim pluries Morgagnus mulieres, quibus ab ortu pubertatis defecerunt menſtrua, ceterum erant ſanæ & valido corporis habitu gaudebant. Hæ erant imperforatæ, & huiuſmodi imperforatio pendebat a defectu vaginæ & uteri. Et quamvis ad aperiendas huiuſmodi mulieres ſe aptabant chirurgi, ipſe tamen ſuaſit, nullam ſeparationem eſſe faciendam, tum ex eo, quia nulla inde proflueret utilitas, tum ut ex hac ſectione incidi inteſtinum aut veſica urinaria potuiſſet cum ſummo mulierum vitæ periculo. Matrimonium ſolvendum tantum eſſe (harum imperforatarum in matrimonio coniunctarum vidit nonnullas cl. Auctor) ſuaſit, ceterum ſanam vivere vitam huiuſmodi mulieres poſſe credidit [*m*]. De uteri orificio clauſo poſt Hippocratem multi & veteres, & recentiores auctores meminerunt.

(m) Conſul. adoleſcentes memoratæ epiſtolæ 55. n. 12. & 13.

runt. Hanc clauſuram generationi obſtare quiſque veſtrum cognoſcit. Sed & datur præternaturalis pellicula, quæ oborta intra uterum tranſitui ſeminis facit non leve impedimentum, quo fæcundatio deficit. Huius pelliculæ præſentiam pluries viderat ipſe Morgagnus intra uteri fundum exiſtentem. Et de uteri obcalleſcentia, de ſumma eius exiguitate, paruitateque cauſam ſterilitatis conſtituente mentionem fecerunt Benevolus, Valſalua, Morgagnus aliique cl. Auctores. At in tubis Falloppianis, atque in Ovariis frequentior ſterilitatis cauſa occurrit. Nimirum non raro obcæcantur tubæ aut ab inerti viſcidoque humore, aut ab enato intra fundum uteri tumore caveam aut alteram, aut utramque comprimente, & claudente. An mulieres ex eo, quod pingues fiunt ſteriles evadunt propter ſummam ab omento admodum pinguedinoſo enatam intra tubas compreſſione, aut ab infarctu pinguedinoſo eaſdem tubas obcæcante? Evadunt non raro ita calloſæ, & duræ, ut ab quocumque

vel vehementiſſimo venereo æſtu erigi, & ad ovaria appropinquari nequeant tubæ. Et haud raro ſine fimbriis obſervatæ ſunt. Ab his tubarum vitiis oriri debere ſterilitatem mulierum quiſque facile percipere poteſt. Et ovaria modo calloſa, & juſto duriora facta, nec non veſiculas ſero limpido, & mere aqueo plenas habentia ſterilitatis quoque vitium pariunt. Et ipſæ veſiculæ non raro duræ, & ſcirrhoſæ inventæ ſunt, nec non humore gypſeo, & veluti ovi albumine ad ignem cocto plenæ. Sed extant caſus mulierum geſtantium ovaria ſcirrhoſa nullas veſiculas continentia, & inventæ ſunt mulieres aliæ, quibus penitus teſtes defecerunt (*n*).

Memorata utriuſq. ſexus vitia quomodo emendari poſſunt.

§. 25. Ab his, aut ſimilibus permultis aliis cauſis ſterilitatis mulierum rationes deſumere poteſtis adoleſcentes, quarum cauſarum cenſum vix exactum enar-

---

(n) Conſulite Swietenum T. 4. & Morgagnum ibid. n. 29.

enarrare poſſumus. Id expreſſe teſtatur Hippocrates. Ait enim (o). *Atque tot ac talia mulieribus contingunt propter quæ non pariunt, antequam curentur, & propter quæ omnino ſteriles fiunt.* At quomodo utriuſque ſexus vitia emendari poſſunt? Minime dubitare poſſumus aliquando per medicamenta opportuna ipſa emendari & tolli ſolere. Verum dantur caſus, in quibus nulla artis præſidia valent morbos memoratos tollere. Defectum organicum in flacciditate, exilitate, & mala conformatione vaſorum ſpermaticorum, teſtium, corporum cavernoſorum, glandis &c. repoſitum quomodo curari poteſt? Defectum uteri, paruitatem & brevitatem vaginæ muliebris, ovariorum ſcirrhum, ſummam obcalleſcentiam tubarum, & his ſimilia quomodo corrigi poſſunt? Verum non eſt penitus negligenda medicina, qua tolluntur & virorum & mulierum vitia in organa generationis ſita, quibus modo venus im-

(o) De Mulierum morbis, & de ſterilitate.

impeditur, modo etiam poſt abſolutum perfectum veneris opus, ſterilitas pendet. Sic remedia leviter deobſtruentia, potiſſimum ſi ab lue gallica vaſa quæcumque ſive ſpermatica, ſive deferentia, ſive alia in viris obſtructa ſint, conveniunt. Et non raro ab uſu mercurii cum extracto cicutæ copulato, ab aquis mineralibus, ab aeris mutatione, ab ipſa hydrargyroſi, & ab his ſimilibus remediis non raro tolluntur vitia in viris, quibus ſterilitas accidere ſolet. Sed & per electriciſmum pluries repetitum etiam trans penem ductum, & per diuturnum uſum valerianæ ſylveſtris, moſchi electi, liquoris anodyni Hoffmanni, balineorum frigidorum, potiſſimum annuente tempeſtate inſtitutorum, per frictionem modo ad vertebras lumborum, & oſſis ſacri, modo ad ipſum penem ſpiritus antiparalytici, aut ſpiritus cornu cervi ſuccinati quotidie factam, modo per temperata ad lumbos, & ad crura data verbera, & his ſimilia tolli poteſt illa nervorum debilitas, qua ablata, redit amiſſa penis erectio. Huiuſmodi medicamentorum

vir-

virtutem pro curandis venereis virorum impedimentis ortis ab nervorum debilitate non ſemel cum maximo ægrotantium emolumento expertus ſum. Et balinea frigida univerſalia, atque majori cum ratione thermalia inſtituta, potiſſimum annuente tempeſtate, multum juvare poſſunt. Vidi non ſemel longo reſpirationis aeris inſulæ Enariæ, & illius loci aquarum thermalium uſu in utroque ſexu ablata ſterilitatis impedimenta. Hæc autem ideo a tanto remedio auferri poſſunt, ſi ſcilicet derivant ab obſtructione partium, & vaſorum miniſterio generationis inſervientium. Diſſipatis enim & evulſis ſubſtantiis tenacibus viſcidiſque memoratas partes obſtruentibus; & facilius modo generatur in viris ſemen, & faciliori pariter modo immittitur intra muliebria, atque ad requiſitum locum pervenit. Quod ſi deficit huius beneficii occaſio, ſuppleri hanc poſſunt remedia ex martialibus, gummatibus amaris, rhabarbaratis, extractis herbarum diſſolvendi virtute præditarum, aliiſque deſumpta. *Agnus caſti* pro vivificanda

in-

in utroque ſexu venerea actione miram a quibuſdam auctoribus (*p*) celebratam virtutem neque penitus improbamus, neque laudamus. Illud certum eſt ab aromatibus & ſpirituoſis, veluti oleo cinnamomi, ſpiritu chariophyllorum, eſſentia roris marinæ, diambra meſues, & his ſimilibus pro vivificandi languentibus nervorum actionibus Practici optima ſeligunt remedia. Quod vero ſpectat ad partium venerearum localem defectum ubi nulla chirurgica operatio arceſſiri poteſt, certe incurabilis evadit morbus. Sterilitatis phænomena ut plurimum occulta, & incurabilia, præſertim, in mulieribus evadunt. Coniugis meæ ſterilitas præter illam cui frequenter ſubiicitur hyſtericam affectionem, nullam aliam cauſam neque in genitalibus partibus, neque in toto copore oſtendit. Et magna, & multa quæ adhibui adhuc remedia eam numquam fæcundam reddidere. Certum eſt ali-

quan-

(p) Et potiſſimum a Cl. Venette in tabl: amour. conjugat.

quando poſt ſolum diuturnum balneorum frigiudiſculorum uſum, quibus tolluntur nervorum irritationes, & magnæ vaſorum partiumque generationi inſervientium contractiones, fæminas fæcundas factas eſſe. Quando nimis ſenſilis eſt virorum glans, ita ut ſtatim poſt penis intra vulvam immiſſionem ſemen effundat, levi uſtione tangenda eſt tota eius ſuperficies, ut quo fieri poteſt evadat moroſa ſeminis intra muliebria ejaculatio, dum quodammodo obſtupeſcit glans. Bonum eſt ita aptare cum mare femina, ut in matutina, rara, hyemali, & fortuita venere expleatur opus utriuſque eodem in tempore. Hoc in ſtatu vividius ſemen in admodum dilatatas pudendas mulieris partes immittur fæcundationem facturum. Cetera hac de re vos ipſa praxis docebit. Valete.

FINIS.

INDEX

ARTICULORUM.

ARTICULUS I.
Luis venereæ origo, & indoles. Pag. 3

ARTICULUS II.
Gonorroboea. 19

ARTICULUS III.
Bubones Venerei. 40

ARTICULUS IV.
Ulcera Venerea. 62

ARTICULUS V.
Porri, & Verrucæ partium genitalium. 74

ARTICULUS VI.
Lues Venerea Confirmata. 79

ARTICULUS VII.
Generalis confirmatæ luis venereæ curatio. 103

DE SCOBUTO

ARTICULUS I.

Scorbuti Natura. 129

ARTICULUS II.

Scorbuti cauſſæ, ſymptomatum enarratio, curatio. 143

ARTICULUS III.

Lepra. 175

ARTICULUS IV.

Scabies. 207

ARTICULUS V.

Venerea impedimenta, & utriuſque ſexus Sterilitas. 226

ERRATA CORRIGE

Pag. 5.v.15.	tationem	rationem
Pag.16.v. 8.	penſundare	peſſundare
Pag.26.v.22.	pariren	pariter
Pag.28.v.20.	Senſibilem	ſenſibilem
Pag.33.v.23.	hibendum	bibendum
Pag.38 v. 2.	guitas	guttas
Ibid. v.11.	Colloſitate	Calloſitate
Pag.39.v.21.	Spermaticele	Spermatocele
Pag.40.v. 6.	capulatum	copulatum
Ibid. v.11.	ſemicubea	ſemicupea
Pag.41.v. 3.	dæſumi	deſumi
Ibid. v.23.	urethæ	urethræ
Pag.44.v. 6.	nonulli	nonnulli
Ibid. v.20.	ægretanti	ægrotantis
Pag.47.v.18.	bulo	bubo
Pag.48.v.23	fræmuli	frænuli
Pag.54.v. 5.	buobonibus	bubonibus
Pag.56.v.18.	areceſſere	arceſſere
Pag.61.v. 1.	animadvertendam	animadvertendum
Pag.62.v. 9.	ſymptomata	ſymptoma
Pag.63.v. 3.	glaudem	glandem
Ibid. v.17.	Hæc	Hæ
Pag.72.v.14.	Fimoſis	Phimoſis
Pag.77. v.21.	capulatum	copulatum
Pag 82. v.14.	momoratos	memoratos
Pag.84.v.26.	manga	magna
Pag.85.v. 1.	Giugivæ	Gingivæ
Pag.86.v.16.	ventoſum	ventoſam
Pag.93.v.22.	afficaciſſimis	efficaciſſimis
Ibid. v. 9.	labore	laborare
Pag.165.v.27.	aceſoſellæ	acetoſellæ
Pag.175.v. 8.	exactæ	exacte
Pag.176.v. 1.	ſutyriaſis	ſatyriaſis
Pag.178.v. 4.	ſiripſit	ſcripſit

Cetera, quæ typographi oſcitantia exciderunt ſuppleat lectoris humanitas.

614